



# De Tacitea Historiae conscribendae ratione

<https://hdl.handle.net/1874/283889>


1926

DE TACITEA HISTORIAE  
CONSCRIBENDAE RATIONE.

P. S. EVERTS

A. qu.  
192





DE TACITEA HISTORIAE  
CONSCRIBENDAE RATIONE.

RIJKSUNIVERSITEIT TE UTRECHT



2301 431 3

*A. au. 192, 1926*

# DE TACITEA HISTORIAE CONSCRIBENDAE RATIONE.

---

SPECIMEN LITTERARIUM INAUGURALE  
QUOD

ANNUENTE SUMMO NUMINE  
EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

J. PH. SUYLING,

IURIS DOCT. ET IN FACULTATE IURIS PROF. ORD.

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS LITTERARUM ET PHILOSOPHIAE DECRETO.  
PRO GRADU DOCTORATUS

SUMMISQUE IN LITTERARUM DISCIPLINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS, FACULTATIS EXAMINI SUBMITTET

PETRUS SERVATIUS EVERTS

E PAGO SEVENUM,

DIE XV MENSIS JANUARII A. MCMXXVI, HORA IV.



KERKRADE,  
APUD N. ALBERTS.  
MCMXXVI.

*Kerkrade 1926*



# PIAE PARENTUM MEMORIAE.



Curriculo academico finem iamiam impositurus facere non possum quin virorum clarissimorum erga me merita grato agnoscam animo memorique.

Tibi prae ceteris gratias ago, clarissime **Damsté**, promotor honoratissime, qui me iam olim varias huius generis materias pervagantem animo perquam benigno ac sano consilio es prosecutus et cum tandem post longi temporis decursum viribus Deo favente resumptis ea quae inveneram colligere et litteris mandare satis valerem, singulari qua es humanitate me meaque excepisti inque hoc opusculo edendo mihi es opitulatus.

Tum clarissimis viris **J. C. Vollgraff** †, **C. W. Vollgraff**, **van Gelder** †, **Bolkestein**, **Ovink**, **Caland**, **Rutgers van der Loeff**, **Hulshof** tam pro eruditione qua me instituerunt quam pro benignitate per totum studiorum meorum tempus mihi exhibita gratias refero quam maximas.

Neque minus gratum ac reverentem testificor animum vobis, **Schrijnen** et **Beysens**, viri aestumatissimi, qui me et sana doctrina imbuistis et amica benevolentia excipere numquam dubitastis.



## PROOEMIUM.

Historiae conscribendae methodus atque litterarum disciplinae antiquis tam graecis quam romanis temporibus numquam quidem a se alienae fuerunt, aetate vero, qua litterae Graecorum per totam Orientis regionem et per ipsam Italiam florescebant, iam ita inter se coaluerunt ut etiam nullo modo separari possent.

Rationem autem, quae inter methodum illam et litterarum disciplinas aetate hellenistica et hellenistico-romana intercedebat, nonnulli iam pridem describere conati sunt; immo artem historiae conscribendae certis legibus circumscriptam esse probaverunt, cum et de praceptoribus ipsis et de modo quo ad usum translata sint, investigationem instituissent.<sup>1)</sup>

Incohatum vero melius dixeris opus illorum quam absolutum. Ast ipsum initium non mediocri laborat difficultate, cum status quaestio[n]is et investigandi methodus recte sint concipiendi. De quovis scilicet rerum scriptore atque adeo de quolibet opere duo videntur investiganda. Non quid singuli auctores ad historiam cognoscendam valeant sed de conscribendae historiae arte, de legibus, de methodo quas in opere construendo, in rebus narrandis adhibuerunt, imprimis est investigandum. Quibus cognitis facilius iam proferetur iudicium de uniuscuiusque operis genere litterario sive γένει<sup>2)</sup>. Methodo atque conscribendi arte imprimis, non rebus ipsis, quae narrantur, genera illa inter se

<sup>1)</sup> De quibus infra disputatum est.

<sup>2)</sup> Cf. Ed. Norden, Gercke u. Norden, Einleitung i. d. Altertumswissenschaft. I, 1912, 448; 455-457, n. 6. 7. De investigatione a viris doctis posthac instituta docuit nos brevitur E. Howald, Griech. Philologie, 1920, 4. 5. 9; id., Jahresb. d. Phil. Vereins, XLVII, 3, 168.

distinguantur.<sup>1)</sup> Genus rursum litterarium in partes dividitur, quae singulae suis legibus et methodo gaudent, ut e. gr. e biographia eiusque partibus iam satis apparet.<sup>2)</sup> A partibus igitur earumque legibus proficiscendum est ei, qui de genere quovis litterario investigationes instituere velit. Circumscripsit iam et plus minusve definitis cuiusvis generis legibus atque methodo, investigare eum oportebit num methodus illa et leges in rebus conscribendis ipsi veritati nocuerint, additis, minutis, translatis rebus quae conscribendi arti usui fore putarentur.<sup>3)</sup> Sed ipsa illa genera, utpote quae nascantur, floreant, immutentur, fortasse elanguescant, dupli modo sese consideranda nobis exhibent, prout scilicet uniuscuiusque generis condicio praesens aut totius eorum vitae cursus continuus nobis proponitur. Unde dupli quoque modo investigatio videtur instituenda: primum quidem inquirendum est quae ratio intercedat inter eiusdem generis opera, eodem tempore conscripta, deinde vero, qua ratione opera, eiusdem quidem generis, variis tamen temporibus et regionibus conscripta, se habere inter se videantur. Quid cuique sit proprium, quid omnibus sit commune, sive inter aequales sive inter eos, qui praecesserunt, qui secuti sunt, id est detegendum — quantum fieri potest.

E quibus iam patet ad extremum nequaquam quaerendam esse

<sup>1)</sup> Cf. tamen F. Jacoby, Klio. IX. 80. sqq., qui utpote historiographiae praesertim intentus, rebus atque materia imprimis genera distinxisse videtur. Forsitan rectius distinxeris inter varia genera historica sensu strictiore quorum methodus cum materia quasi coniuncta putatur, uti e. gr. biographia, et genera historico-litteraria, quorum methodus ad variam historiae materiam adhibetur ut genus hellenistico-peripateticum, de quo infra actum est.

<sup>2)</sup> Cf. F. Leo, Die griechisch-römische Biographie. 1901. 146-192.

<sup>3)</sup> De quibus vide quae luculenter digessit R. Heinze, Die gegenwärtigen Aufgaben der Römischen Litteraturgeschichte. Neue Jahrbücher f. d. klass. Altertum u. Paedagogik. 1907. 170: „Da aber der antike Historiker im allgemeinen nicht sowohl Forscher als vielmehr Künstler ist, so hängt das Urteil auch über seine sachliche Glaubwürdigkeit oft genug von einer richtigen Würdigung seiner künstlerischen Tendenzen und der Art ihrer Durchführung, kurz seiner Technik, ab.“ — Cui adsentitur K. Witte, Ueber die Form der Darstellung in Livius' Geschichtswerk. Rhein. Museum. 1910. 270. sqq., atque haec illis adjungit: „Trotzdem fehlt es bisher vollständig an Monographien, die das ganze Werk eines Historikers auf seine litterarische Form hin analysiert, die Abweichungen von der historischen Wahrheit herausgestellt, und sie, soweit künstlerischen Absichten entsprungen, auf bestimmte Gesichtspunkte zurückgeführt hätten.“ — Neque abs re sunt ea, quae attulit R. Laqueur. Berl. Phil. Wochenschr. 1908. c. 961. sqq.

cuiusvis generis definitionem, quae simul omnia et singula complectens neque immutari possit neque suppleri, — crescit enim genus, ergo mutatur, — sed hoc tantummodo agi, ut methodus eius atque leges, apud varios auctores variisque temporibus obviae, neglectis quae cuique sint propria, una et continua expositione comprehendantur.

Apud rerum scriptores vero, — ut ad propositum redeam, — qui aetate hellenistica et hellenistico-romana floruerunt, magis magisque invaluit prae ceteris historiae conscribendae methodis genus illud quod e tragoediae componendae praceptoribus, a philosophis peripateticis expositis, originem traxit. Quae tamen de methodo illa rerum scribendarum viri docti nos docuerunt, quamvis scite prolata, nequaquam absoluta sunt et perfecta. De totius enim generis indole atque ingenio iudicium absolutissimum proferre non sunt ausi, quippe qui plerosque auctores, multasque partes cuiusvis operis neque investigare neque percurrere potuerint.

Quae cum ita sint, haud abs re mihi visum est in rerum scriptores nonnullos eorumque methodum inquirere, imprimis quidem in Cornelium Tacitum, de quo quid viri docti senserint iam olim diligenter investigaveram. Cuius artem historiae conscribendae et rerum narrandarum atque componendarum methodum esse affinem generi illi hellenistico-peripatetico satis quidem constat inter omnes.<sup>1)</sup> Quae tamen de affinitate illa afferunt viri docti, non ita accurate neque satis definite elaborata mihi videntur. Nil mirum: haud enim parva sunt quae impediunt quominus luculenter et absolutissime haec affinitas nobis exponatur. Et utrimque quidem res obstant: quae enim generi hellenistico-peripatetico sunt propria, sive de praceptoribus conscribendae historiae agitur sive de usu, non satis accurate in unum sunt collecta, neque ex omnibus scriptoribus sunt desumpta, — quantum supersunt

<sup>1)</sup> Cf. E. Norden, Einl. I. 1912. 452. „Diese Beispiele.. zeigen die Richtigkeit der.. Auffassung, dass Tacitus als Künstler der Darstellung nur im Rahmen der pathetischen Historiographie der hellenistischen Zeit richtig verstanden werden kann“; insuper Einl. I. 1923. fasc. 4. 78-79; id., Die antike Kunstprosa, 1915.<sup>3</sup> I. 93. Vide etiam quae de hisce infra in capite secundo uberiori exposita sunt.

dico, cum magna ex parte perierint opera eorum. Taciti rursus ingenio serviunt potius praecepta illa quam ipse sese iis subicit. Unde fit ut spiritus quidem et vita illius generis et methodi apud nostrum magis eluceant, formulae vero et schemata et leges, quae scholam sapiunt, potius apud scriptores minoris momenti inveniantur. Insuper de ratione ipsa, quae intercedit inter veritatem historiae propriam et generis illius praecepta et usum saepius nihil pro certo statui poterit, cum de rebus a Tacito narratis ceteri rerum scriptores plerumque parum vel nihil memorent.

Quidquid id est, cum viris doctis quorum sententias capite secundo attuli nequaquam frustra inquisitum iri in illam affinitatem et fidem historicam persuasum habeo, etiamsi cuncta et singula neque investigentur neque perspiciantur.<sup>1)</sup>

Primo igitur capite de ipso genere hellenistico-peripatetico de legibus eius atque usu agendum mihi videtur, — nequaquam sine causa uti e supra dictis appareat, — summatim quidem, sed ita ut illa complectar quae variis suis investigationibus viri docti nos docuerunt, quaeque ipse, pauca quidem et minoris momenti, de meo adicienda esse putabam.

De modo autem et methodo quo Tacitus narraverit narrationesque composuerit capite secundo investigare mihi proposui, ubi simul eventus meos in unum colligere et rationem inter nostrum et genus hellenistico-peripateticum intercedentem explanare conabor.

Quomodo vero inter sese habeant praecepta illius generis et fides historica apud nostrum, denique capite tertio et ultimo exemplis demonstrandum esse ratus sum.

<sup>1)</sup> Cf. R. Reitzenstein, Hellenistische Wundererzählungen, 1906, 89, ubi postquam fusius nos docuit quid de hellenistica historiae conscribendae arte Cicero senserit, et quomodo eam Sallustius adhibuerit, hisce verbis pergit: „Es wäre lockend hier auf Tacitus einzugehen, dem man nur dann voll gerecht wird, wenn man in ihm vom frühesten bis zum letzten Werk den bewussten Klassizisten sieht.” Cf. insuper R. Heinze, Neue Jahrb., 1907, 170: „Glückliche Vorstöße, die kürzlich auf diesem Gebiete gemacht sind, lassen hoffen, dass die Technik der Erzählung in nächster Zukunft mit in den Vordergrund des litterar-historischen Interesse treten wird. Und es könnten in der Tat nicht viele Aufgaben existieren die reizvoller wären als z.B. die, einen Künstler wie Tacitus zu befragen, mit welchen Mitteln es ihm gelingt den Leser noch heute unwiderstehlich in den Bann seiner dämonischen Kunst zu zwingen.” Eadem fere invenies testimonia apud eos quos infra capite secundo laudavi.

## CAPUT PRIMUM.

### DE HISTORIAE CONSCRIBENDAE ARTIS HELLENISTICO-PERIPATETICAE PRAECEPTIS ET USU.

Quae de *historia*, de *vita*, ut ita dicam, ipsius generis nobis innotuerunt, delineare, quaeque generi qua tali sunt propria, summatim colligere non iam nimis difficile mihi videtur satisque sufficit investigationi quam mihi proposui.<sup>1)</sup>

Reiecta historiae conscribendae methodo, quae tota ex arte rhetorica nata ab Isocrate eiusque discipulis, imprimis Ephoro et Theopompo, originem traxit,<sup>2)</sup> hellenisticae aetatis rerum scriptores plerique nova sibi statuunt pracepta, novaque utuntur methodo

<sup>1)</sup> Profuerunt mihi imprimis quae invenies apud W. v. Christ-Schmid, Geschichte d. Griech. Litt. I. 1912. 527. sqq.; II. 1. 1920. 204. sqq.; II. 2. 1913. passim. — F. Susemihl, Gesch. d. Griech. Litt. i. d. Alexandrinerzeit. I. II. M. Schanz, Geschichte d. Röm. Litt., I. 2. 1909; II. 1. 1911; II. 2. 1913. — W. S. Teuffel's Geschichte der Röm. Litt. I. 1916; II. 1920; III. 1913. — C. Wachsmuth, Einleitung i. d. Studium d. alten Geschichte. 1895. — H. Peter, Die geschichtliche Litteratur ü. die Röm. Kaiserzeit. I. II. 1897. id., Wahrheit u. Kunst. 1911. — E. Norden, Die antike Kunstprosa. I. 1915. id., Gercke u. Norden, Einleitung i. d. Altertumswissenschaft. I. 1912; I. fasc. 4. 1923; I. fasc. 3. 1924.

<sup>2)</sup> Cf. A. E. Kalischek, De Ephoro et Theopompo, Isocratis discipulis. 1913; qui contra E. Schwartz. P. W. VI. 1-2, Ephorum et Theopompum Isocratis discipulos fuisse, — ut traditum est, — propugnat. Ceteroquin vide quae de auctoritate, qua ars Ctesiana apud Theopompum valuerit, sentiunt E. Schwartz. P. W. VI. 1-16; M. Pohlenz, Einleit. i. d. Altertumswissenschaft. I. fasc. 3. 126. (1924); F. Jacoby. P. W. XI. i. v. Ktesias, praesertim 2067-68, innixi testimonio ipsius Theopompi ap. Strabonem. I. 2. 35; cui addenda puto testimonia Dionysii Hal. ad. Pomp. 6. et Photii ap. F. H. G. II. fragm. 1. Duridis. Quorum iudicium confirmatur etiam ipsius Theopompi quae extant fragmentorum ingenio.

operibus construendis; atque adeo methodum et conscribendi artem, quae ante Isocratem efflorescere cooperat, denuo colere atque perficere student.

Primus vir doctus quidam peripateticus, Theophrastus ut videtur vel discipulus eius Praxiphanes, leges ab Aristotele componendis tragoediis datas, historiographiae iniungens, doctrinam novi conscribendi generis elaboravit.<sup>1)</sup> Unde et peripateticum nomen generi datum est; idque quidem recte quia hac in re praesertim differt a methodo isocratea. Neque opinio eorum qui originem eius ad historiographiam ionicam, ctesianam scilicet, referunt, in vulgus probatur, quamquam multum valuisse in nostros methodum ctesianam non negaverim.<sup>2)</sup>

Callisthenes deinde et Duris atque Phylarchus a plerisque, Cleitarchus nonnumquam, primi haec praecepta ad usum transluisse dicuntur.<sup>3)</sup> Reliqua historia generis ipsius et eorum qui ei

<sup>1)</sup> Cf. E. Schwartz, Hermes. 44. 492. id., P. W. V. 1854. i. v. Duris. — Ch. Gramann, Quaestiones Diodoreae 1907. 21. sqq.; — P. Scheller, De hellenistica historiae conscribendae arte, 1911. 65-71.

<sup>2)</sup> Methodum nostram a Ctesia originem duxisse censem E. Rhode, Der griech. Roman. 1900. 41; P. Wendland, Gercke u. Norden, Einleit. I. 1912. 193-194; 220. Rectius de hac re iam mihi videtur sentire M. Pohlenz, Gercke u. Norden, Einleit. I. 3. 1924. 106; 126; qui quamquam in methodum nostram multum valuisse putat artem ctesianam, tamen eam tamquam sui generis a ctesiana discernit. Cui adsentitur, nisi fallor, etiam F. Jacoby. P. W. XI. i. v. Ktesias et i. v. Kleitarchos. Nec mirum, ut puto; cf. apud C. Müller. Ctesiae cet. fragmenta una cum Historiarum Herodoti libris edita. 1844: Fragm. 15. de Semiramidis historia servatum ap. Diodor. II. 16-20; Fragm. 29. e Photii eclogis, c. 10; Fragm. 39-43. de Cyri minoris historia, servata apud Plutarch. Vita Artax. 6-15; deinde fragmenta ap. Nicolaum Damascenum servata, in l. c. t. C. Müller. F. H. Gr. III. p. 343. sqq.: fragm. 7. de Semiramidis historia; fragm. 10. de Parsoundae et Annari historia; fragm. 12. de Stryggaeo et Larinia; fragm. 66 et 68. de Cyri maioris historia; quae omnia e Ctesia provenisse testatur F. Jacoby. P. W. XI. i. v. Ktesias. 2063-64, et passim. Quibus omnibus consideratis ab hac parte liquet rerum scriptorem vere evidentiae studuisse, affectum praesertim ἐπιληξιν de industria excitasse tam rebus ipsis, quas narrat, quam dictione et arte dramatica qua narrat et res componit. Vide quae de illo iam senserunt Demetr. de Elocut. 212-216, et Plutarch. Artax. 6. Ab altera tamen parte, collato Diodoro XX. 1, Ch. Gramann. o. c. 16-30 satis lucide nos docuit methodum nostram ab ipsis peripateticis elaboratam saltem, — non dico excogitatam, — et a Duride receptam esse.

<sup>3)</sup> Callisthenem, Duridem Phylarchum proponunt C. Wachsmuth, Einl. 544; E. Schwartz, Hermes. 44. 492; id., P. W. i. v. Douris; Ch. Gramann. o. c. 26. 27; H. Peter, W. u. K. 213-218. Callisthenem imprimis defendit

fuerunt plus minusve affines, fere haec fuit. Artem rhetoricam valuisse apud omnes rerum scriptores posteriorum temporum satis superque notum est; modum vero servaverunt nonnulli, inter quos praesertim Polybius.<sup>1)</sup> Contra veritate neglecta affectum, πάθος sive ἔκπληξις, excitare conati sunt permulti, inter quos Timaeus, Philinos, Fabius Pictor.<sup>2)</sup> Magis tamen ac praecipue nobis attendum est ad eos qui narrationibus dramatice componendis et tragice ornandis affectum excitare conati sunt, quippe qui methodo hellenistico-peripatetica, nobis investiganda, utantur. Inter quos primi nominandi sunt, ut iam dixi, Callisthenes<sup>3)</sup> et Duris<sup>4)</sup> et Cleitarchus<sup>5)</sup> et Phylarchus.<sup>6)</sup> Quos secuti sunt apud Romanos

E. Will, Kallisthenes' Hellenika. 1914, quem tamen impugnat F. Jacoby. P. W. X. i. v. Kallisthenes. Cleitarchum proponunt P. Wendland. o. c. 220, et, ut videtur, F. Jacoby. P. W. XI. i. v. Kleitarchos. Contra R. Reitzenstein, Hell. Wund. 89. adn., olim quicquam pro certo affirmare noluit.

<sup>1)</sup> Cf. P. Scheller, o. c. 57-61.

<sup>2)</sup> De Timaeo rerum scriptore indicium tulit Polybius XII. 25. a. 5; de Philino, I. 14; de Fabio I. 14.

<sup>3)</sup> Cf. E. Will, o. c. 23-25, praesertim 43-50, et 69-75, qui vitae Pelopidae historiam, a Plutarcho e Callisthene desumptam, peripatetica methodo compositam esse docet.

<sup>4)</sup> De Duridis historiographi arte in Diodori Siculi libris XIX et XX obvia egerunt E. Schwartz, P. W. i. v. Diodorus et Douris et praesertim C. Lauckner, Die künstlerischen u. politischen Ziele der Monographie Sallusts u. d. Jugurth. Krieg. 1911. 61-63; U. v. Wilamowitz, Die griech. Litteratur u. Sprache. 1912. 171. — In narrationibus brevioribus iisque perfectis dramatica rerum structura mihi videtur esse minus perspicua, quamquam scenae singulae, multa dramatica et tragica arte compositae apud nostrum saepissime occurunt in libris quos perlustravi, XIX et XX, ut e. gr. XIX. 7. 8. 109, XX. 5. 6. 7, 15-16, 34. Ceterum tota historia Agathoclis ut unum in se et perfectum quoddam corpus haud dubie a Duride multa dramatica arte composita et tragice ornata apud nostrum etiam alia artis vestigia eaque insignia servat.

<sup>5)</sup> E Cleitarcho esse desumptam historiam Alexandri in Diodori libro XVII docuit nos E. Schwartz, P. W. V. 683-684; F. Jacoby, P. W. XI. 638. De methodo eius atque arte fusius disseruit F. Jacoby. l. c. Pauca tamen et parva vestigia artis, qua res construxit et composuit, apud Diodorum obvia sunt, quia hic historiam excerptendo saepissime nimis abbreviavit. Plures et maioris momenti reliquias si genuinae sunt, nobis praebet Curtius Rufus, de quo infra actum est.

<sup>6)</sup> De Plutarchi vita Agidis et Cleomenis e Phylarcho desumptis cf. C. Wachsmuth, o. c. 546; de methodo et arte eius C. Lauckner, o. c. 60-64. U. v. Wilamowitz, o. c. 171. — Ceterum de narrationibus apud Plutarchum obviis fere eadem mihi videntur dicenda ac de Diodoreis, ambos scilicet scriptores parum curasse fontis suae methodum in summa rerum componenda

annalistae qui dicuntur posteriores quorum methodus et ars rerum conscribendarum nobis est conspicua apud Livium<sup>1)</sup> necnon apud Dionysium Halicarnassensem.<sup>2)</sup> De Sallustii quidem arte discrepant

adhibitam, structuram eius dramaticam universa et singula complectentem atque omnes res in unam quoddam δρᾶμα redigentem, sed eos singulas tantum scenas multa evidenter descriptas e fonte sua desumpsisse.

<sup>1)</sup> Cf. E. Norden, Einl. I. 4. 35. (1923): „die schönen Geschichten von den Horatius.. Lucretia, Verginia, Coriolanus und Camillus, Curtius Decius lesen wir bei Livius, Dionysius und Plutarchus in der Prägung dieser jüngsten Annalisten. Dass sie einzelne Züge aus Ennius und die wenig existierenden fabulae praetextae übernahmen, kann vielleicht zugegeben werden, aber das trat ganz zurück hinter der freien Ausschmückung im pathetisch theatralischen Stil der hellenistischen Historiographie. Für jeden der diese Manier kennt ist es handgreiflich, — untersucht unter diesem Gesichtspunkt ist es noch nicht, — durch Cicero Brutus 41. ist es direct bezeugt.“ Cf. id., Ennius und Vergilius. 157-158, ubi Livio Diodorum atque Trogum adiungit. De ipso Livio vide insuper W. Soltau, Die Anfänge der Römischen Geschichtsschreibung 1909. 98: „Die ganze Darstellung (der Geschichte des Porsenna) des Livius liest sich wie ein Drama, oder wie ein mit Dialogen ausgestatteter Roman“. id. 127-131. Quae de hisce sentit W. Soltau, e fabulis praetextis scilicet provenisse ea, quae apud Livium inveniuntur, acerrime impugnantur ab Ed. Norden, Einl. I. 4. 1923. 35, ab E. Schwartz, Hermes. 35. 128, ab R. Klotz, Philol. Wochenschrift. 1923. 1111; neque mihi ipsi probanda videntur. Cum enim ars illa historiae conscribendae, apud Livium conspicua, facile una cum materia rerum narrandarum, e fontibus, annalistis scilicet romanis, provenisse putanda sit, explicatio longius et e causis parum notis petenda non est. — De arte dramatica apud Livium in narrationibus continuis atque perfectis obvia (Einzelerzählungen) eiusque affinitate cum arte Vergiliana egit K. Witte, Ueber die Form der Darstellung in Livius' Geschichtswerk, Rhein. Museum. 1910. 270 sqq., praesertim 273-274, sqq.; de Tacito eiusque arte conscribendi in narrationibus brevioribus cum liviana collata vide p. 418-419. Artem autem livianam in illis narrationibus, ut putat vir cl. p. 417-418, affinem quidem esse cum hellenistica historiae conscribendae arte, doctrinam tamen hellenisticam Livio non fuisse cognitam neque ab eo adhibitam, nusquam, rationibus allatis, probare conatus est. — E narrationibus livianis, quas perlustravi, imprimis hae mihi videntur dignae, quae accuratius investigentur: in libro primo cap. 9-13; 22-26; 46-48; 57-60. De ceteris vide W. Soltau, o. c. 40-41, 54-58, 98, 105-106, 108-109; M. Egger, Dénis d'Halicarnasse. 1902. 264-284 et qui nuper de arte eius egit, W. Kroll, Studien z. Verständniss d. Röm. Litteratur. 1924. 351-369, imprimis 352. sqq., ubi de componendi arte libro secundo obvia disputavit.

<sup>2)</sup> Cf. M. Egger, o. c. 268: „Les faits (l'histoire de Coriolan) sont donc encore exposés en détail par l'historien grec de manière dramatique et oratoire tandis que l'historien latin reste sobre de discours et se borne aux faits principaux.“ Qui nonnullis narrationibus livianis et dionysianis inter se collatis artem et structuram dramaticam apud Livium obviam minoris quam par est pretii aestimat, de arte vero dionysiana adhuc nimis alte iudicare mihi videtur.

auctores,<sup>1)</sup> de liviana breviter iam egi p. 8, adnot. 1. De Vergilii vero Aeneidos methodi et artis affinitate cum historiographia hellenistica-peripatetica satis convenit inter plures,<sup>2)</sup> necnon de Togo a Iustino nobis servato,<sup>3)</sup> de Curtio Rufo,<sup>4)</sup> de Nicolao Dama-

---

Quamquam enim singulis locis, parum festive quidem, artis praecepta observat Dionysius, tamen totius narrationis arte et structura dramatica valde praestat Livius, ut e narrationibus a me in comparationem vocatis, facile intelleges. Sunt autem quae sequuntur: Liv. I. 9-13; Dionys. 2. 30-46. — Liv. I. 22-26; Dionys. 3. 2-22; — Liv. I. 46-48; Dionys. 4. 28-39. — Liv. I. 57-60; Dionys. 4. 64-84. De ceteris vide M. Egger, o. c. 269-284. De ingenio utriusque scriptoris breviter disseruit L. Radermacher. P. W. V. 934-58.

<sup>1)</sup> Nonnulli, inter quos Th. Birt, Kritik u. Hermeneutik. 1913. 174., R. Reitzenstein, H. W. 84, R. Ullman, Revue de Philologie. t. 42. 5-27, Sallustium opera sua, Bellum scilicet et Coniurationem, secundum artis dramaticae praecepta a Cicerone in Ep. ad fam. V. 12. memorata, composuisse existimant. Alii contra, inter quos E. Schwartz, Hermes. 32 360-65, atque F. Leo, Geschichte der röm. Litt. K. d. G. VIII. 1912. 438, eum artem suam atque methodum historiae consribendae arti peripateticae ex industria opposuisse putant. Sunt denique, qui firmis argumentis usi utramque reiciant sententiam et artem Sallustii, e Thucydidis methodo profectam a suis aequalibus plane alienam esse contendant. Inter quos praesertim nominandi sunt: C. Lauckner o. c. 53-58; 60-64; et E. Norden, Einl. I. 4. 36-37. (1923).

<sup>2)</sup> Cf. R. Heinze, Vergils Ep. Technik. 1915. 472. E. Norden, Einl. I. 455. (1912); I. 4. 52 (1923). Quibus aliquatenus tantum assentitur. E. S. Duckett, Hellenistic Influence on the Aeneid. 1920. Dolendum tamen quod, hellenisticae historiographiae methodo satis late exposita, paucis tantum verbis egit auctor de ipsa rerum componendarum arte apud Vergiliū, neque cum historiographiae peripateticae methodo eam contulit. Fusius vero de arte dramatica eius in narrationibus brevioribus obvia disputaverunt: H. Belling, Stud. ü. d. Compositionskunst Vergils. 1899. 162-174; 199-244. E. Norden, Ennius u. Vergilius. 7-8. R. Heinze o. c. 119-121, 132, 134; Cath. Saunders, The Classical Weekly. 1921. XV. 3. 17 sqq. The Tragedy of Latinus.

<sup>3)</sup> Cf. E. Schwartz. P. W. IV. 1883. sqq., et F. Jacoby. P. W. XI. i. v. Kleitarchos. De methodo eius atque arte egit R. Laqueur. B. Ph. W. 1908. 961. sqq. et praesertim E. Schneider, De Pompei Trogi historiarum Philippicarum consilio et arte. 1913. 19-21: 32, 37.

<sup>4)</sup> Parum videtur constare quomodo Curtius fontibus suis imprimis Cleitarcho usus sit. cf. E. Schwartz. P. W. IV. 1872-83; F. Jacoby. P. W. i. v. Kleitarchos. De narrationibus brevioribus quae apud nostrum inveniuntur, non plane eadem dicenda sunt ac de Diodori et Plutarchi methodo et arte. Imprimis enim locos qui sunt VI. 7-11; VII. 1-2; VIII. 1. 20-2. 13; IV. 2-4, structura sua historiae consribendae arti peripateticae magis affines existimo. Ceterum vide etiam S. Dosson, Etude sur Quinte Curce. 1887. 241-42, 311, qui tamen modo tantum generali de arte eius dramatica et pathetica egit; praesertim vero W. Kroll, Stud. z. Verst. der Röm. Litt. '24. 331-351.

sceno.<sup>1)</sup> In Flavium Iosephum vero altius videtur inquirendum,<sup>2)</sup> necnon in C. Plinium Caecilium Secundum, quamquam et ipsi genus peripateticum non fuit incognitum ut iam satis apparet.<sup>3)</sup> Quibus adnumerandus est ipse Tacitus, ut patet ex iis quae capite secundo a me exposita sunt.

---

Praecepta illius historiographiae atque doctrina cognoscuntur e testimoniis, quae, dispersa quidem et saepius obiter allata, apud auctores antiquos complures inveniuntur, praesertim apud Polybium, Duridem, Dionysium Halicarnassensem, Diodorum Siculum, Ciceronem, Quintilianum, Flavium Iosephum, Tacitum, C. Plinium C. Secundum, Lucianum. Minimeque spernenda sunt quae didiceris investigando modum quo ipsi historiographi, — quantum

<sup>1)</sup> Cf. P. Jakob, De Nicolai Damasceni sermone et arte historica quaestiones selectae. 1911. 71-73. Cf. etiam infra adn. 4.

<sup>2)</sup> Artem Flavii Iosephi rerum scriptoris in libris q.t. Bellum Iudaicum perspicuum, quamquam ab arte dramatica non plane alienam, arti historiae conscribendae peripateticae esse affinem, negat W. Weber Iosephus u. Vespasian. 1921. 9-10, 60-63, 210-211. Attende etiam ad ipsius auctoris testimonium, B. I. prooem. 4. ubi affectum excitare a historiographiae legibus alienum esse contendit, sibi ipsi tamen veniam petit. Quae tamen Iosephus in Belli libro primo de vita Herodis exposuit, v. d. nonnisi leviter attigit. Quemvis autem librum illum perlegentem atque paulo altius perscrutantem fugere non potest, ipsam historiam Herodis arte peripatetica esse compositam atque ornatam; neque mirum, cum de Nicolao peripatetico rerum scriptore sua desumpserit, id quod nos docet G. Hölscher. P. W. IX. 1945. sqq., redarguens quae W. Otto. P. W. suppl. II. 6-15, de fonte quodem intermedio disseruit. — De Archaeologiae arte vide E. Bethe-Wendland, Gercke u. Norden. Einl. I. 310. (1912): „Die Hellenisierung biblischer Geschichten durch Iosephus bedarf dringend einer Untersuchung, die, weil wir hier die Vorlagen besitzen, einen reichen Ertrag verheisst“. Sit verum de ceteris peripateticae artis praeceptis, dramaticam tamen rerum structuram in vita Moysis, l. II-III, et Davidis, l. VII, quas perlustravi, non invenies.

<sup>3)</sup> Cf. F. Lillge, Die litterarische Form der Briefe des Plinius ü. d. Ausbruch des Vesuvs. Sokrates. 1918. 209-234; 273-297; e quibus haec mihi videntur exscribenda: (226) „Wie Plinius demnach die Erzählung vom Tode seines Oheims durchweg mit den Kunstmitteln der hellenistisch peripatetischen Geschichtschreibung ausgestattet hat, die sich aus der aristotelischen Theorie der Tragödie herleitet, so hat er sie schliesslich auch in den äussern Formen einer Tragödie gegossen.“

supersunt opera eorum, — praecepta illa ad usum transtulerint.

Primus quidem, — ut omittam quae E. Schwartz iam olim protulit, — R. Reitzenstein fusius de doctrina ipsa, apud Ciceronem in Ep. ad fam. V. 12. obvia, disseruit. Postquam vero Ch. Gramann de origine eius et propagatione et R. Laqueur de praeceptis a Trogo ad usum translati nos docuerunt nonnulla, P. Scheller testimonia quae de ea praesertim apud Polybium, Dionysium Halicarnassensem, Diodorum Siculum, Ciceronem extant, digessit atque in unum quoddam corpus redigit, nec non H. Peter de singulis quibusque auctoribus, de fide eorum una cum methodo atque arte disseruit. Deinde cum P. Jakob, C. Lauckner accuratius iam nos docuissent ipsam methodum, investigando quomodo doctrinae praeceptis nonnulli auctores steterint, E. Norden historiam generis atque ingenium breviter delineavit. Neque spernenda sunt quae deinceps E. Schneider et E. Will de praeceptis ad usum translati congesserunt, minime vero quae R. Heinze apud ipsum Vergilium iam olim inventa demonstravit. Quae iam P. Scheller et R. Heinze de praeceptis atque usu digesserant, sibi adsumens F. Lillge, Plinii quibusdam epistulis pertractatis, vetera accuratius digessit, nova veteribus adiunxit, methodum, qua investigatio sit instituenda, inquirendo explanavit. Quibus addenda sunt quae nuper F. Jacoby de methodo et arte Cleitarchi rerum scriptoris, W. Kroll de historiographia curtiana ac liviana collegerunt digesseruntque.<sup>1)</sup>

<sup>1)</sup> Confer, quae, quae praesertim nobis profuerunt: E. Schwartz, P. W. V. 683, 687-8. i. v. Diodorus; id., V. 1853, i. v. Douris; id., Fünf Vorträge ü. den griech. Roman. 1896. 115-116; id. Hermes. 35. (1900.) 128. — H. Peter. Die geschichtliche Litteratur ü. die Röm. Kaiserzeit. 1897. I. II. praesertim vero Wahrheit u. Kunst. 1911. — R. Reitzenstein, Hell. Wundererz. 84. sqq. — Ch. Gramann, Quaestiones Diodoreae. 1907. 21. 28. sqq. — P. Scheller, De hellenistica historiae conscribendae arte. 1911. 38 sqq. — R. Laqueur. Berl. Phil. Woch. 1908. 961. — P. Jakob, De Nicol. Damasc. 1911. 62-76. — C. Lauckner, Die künstl. u. polit. Ziele der Mon. Sallusts. 1911. 59-64. — E. Norden, Einl. I. 1912. 390; I. 4. 1923. 78-80. — E. Schneider, De Pomp. Trog. 1913. 29-47. — E. Will, Kallisthenes' Hellenika. 1913. 69-75. — R. Heinze, Virgils Ep. Technik. 1915, praesertim 471: „Näher als alles bisher genannte mag eine andere Gattung kunstvoller Erzählung der virgilianischen Technik gestanden haben: die hellenistische genauer die peripatetische Geschichtschreibung. Es ist ja im letzten Grunde eine und dieselbe Theorie, auf welche das Virgilische Epos wie die Historiographie des Duris und Phylarch zurück gehen: die aristotelische Theorie der Tragoedie.. wir dürfen annehmen dass

Quae vero de hisce viri docti protulerunt, recensere et — quantum necesse est — in iudicium vocare, in unum deinde complecti atque augere, adiectis scilicet quae e Taciti, Plinii C. Secundi, Iosephi scriptis collegi, neque abs re esse putabam, neque ad consilium quod mihi proposueram, non necessarium.

Primum quidem constat methodum nostram quam maxime praceptoris artis rhetoricae et historiographiae hellenisticae in genere esse affinem.

Materiam nempe sibi acquirat rerum scriptor pulchram, magnam,<sup>1)</sup> necnon iucundam, utilem; delectet historia atque proposit legenti.<sup>2)</sup> Argumentum atque adeo totius materiae dispositio sit

die kunstvolle dramatische Technik im weiten Umfange dazu benutzt wurde die Wirkungen zu verfeinern und zu steigern..." id. 472. — F. Lillge, Sokrates. 1918. 209-234; 273-298; ubi, de Plinianis quibusdam epistulis agens earumque affinitatem cum historiographia hellenistica demonstrans, de Vergilii Aeneidos libro quarto eadem se explanaturum promittit, 290. adn. 2., necnon de aliis quibusdam Plinii epistulis. 299. — F. Jacoby. P. W. XI. 642-650. i. v. Kleitarchos. — W. Kroll, Studien z. Verständniss d. Röm. Litterat. 1924. 331-382.

<sup>1)</sup> Cf. Dionys. Arch. I. 1; V. 75; id., ad. Pomp. 3. 2-7; Polyb. I. 2. 1; I. 4. 4; III. 4. 12-13; XXIX. 12. 1-3; Cicero Ep. ad. fam. V. 12. — Ut materia sit magna dignaque cognitu et memoria postulat etiam Tacitus. H. I. 2. Ann. VI. 7; XIII. 31; queritur de arto et inglorio labore ubi narrat parva et levia memoratu, Ann. IV. 32-33; praeterit res nullius momenti, Ann. XIII. 31, vel turpes, Ann. XI. 21, XV. 37. Item Plinius. Ep. VI. 20. 20. VIII. 12. 4. et Flavius Iosephus. B. I. prooem. 2. id., Arch. prooem. 3; IX. 4. 1.

<sup>2)</sup> De materia iucunda atque utili, de fine igitur historiographiae diligenter egit P. Scheller. o. c. 72-78, digerendo testimonia e Dionysio, Diodoro, Polybio, Luciano, Cicerone, Sallustio, Quintiliano praesertim desumptis. — De Tacito, Plinio, Iosepho brevibus verbis agam. Ne fatiget animum et lecturos taedio afficiat materia, exigit Tacitus (Ann. IV. 33. VI. 7; 38; XVI. 16); laudat eam quae retinet ac redintegrat animum, (A. IV. 33.) varietatibus proeliorum, casuum, claris ducum exitibus (A. IV. 33; H. I. 2; I. 2-3), narratione rerum mirabilium salva semper veritate (A. IV. 10-11, XI. 27. H. II. 50.). Item Iosephus, Arch. prooem. 3; VIII. 15. 6. XIII. 12. 6. XVIII. 6. 11; XVIII. 5. 3. XX. 8. 3; B. I. I. 2. 8; VI. 8. 4; VI. 3. 4; VII. 5. 1. Ne sit historia simplex cura posteritatis, (H. I. 1,) sed etiam mores excolat (A. I. 3, II. 32; III. 55. 65; XIV. 14. 64. XVI. 16. H. I. 3; III. 51. Agr. 1-2; 46.). Item Plinius Ep. III. 18. 2-3; VIII. 5. 13. VIII. 12. 5 IX. 9. 3. IX. 27. 1. et Iosephus, Arch. II. 14. 1; VI. 14. 4; XVII. 13. 5; XVII. 3. 3; XVIII. 5. 3; XIX. 1. 2. E praeterito futurum aperiat rerum scriptor, lecturos doceat quomodo in vita praesertim publica se gerant; (A. IV. 32. 33; H. I. 4; 51;) item Iosephus B. I. III. 5. 8. Arch. VI 12. 7; qui praeterea Deum

una atque perfecta, vel sua natura vel arte rerum scriptoris.<sup>1)</sup> Narrationis ipsius compositio et nexus sit perspicua atque continua,<sup>2)</sup> neque a symmetria aliena.<sup>3)</sup> Laudationes et vituperationes,<sup>4)</sup> orationes,<sup>5)</sup> descriptiones<sup>6)</sup> inserendae sunt.

iustum ac providum res humanas regere vario historiae cursu demonstrat, B. I. V. 2. 2; VI. 8. 4; Arch. pr. 3: VIII. 12. 6; VIII. 15. 6; X. 8. 3; XI. 6. 11; XVII. 13. 5. XVIII. 5. 3; XIX. 1. 2. Nequaquam tamen quaerat sibi gloriam, (A. XI. 11. Agr. 10); contra Plinius Ep. V. 8. 1; V. 5. 4. VI. 16. 3. Et gratiam respuat, Agr. 1. H. I. 1; item Iosephus. B. I. pr. 1; Arch. XVI. 7. 1; XX. 8. 3. Vita. 65.

<sup>1)</sup> Cf. Dionys. Hal. de Thuc. c. 10-12; id., ad Pomp. 3. 8-10; Diod. Sic. XVI. 1. 1-2; XX. 1; Polybius. I. 3. 3-5; I. 5. 3-5; I. 12. 5-9; III. 1. 4-5; V. 32. — Quamquam expressis verbis de hoc pracepto non egit Tacitus, tamen ignotum ei non fuit, uti appareat ex initio ac fine accurate definitis (H. I. 1 et 4.), ex argumento totius operis dilucide praesumpto (H. I. 2-3.), magis tamen e singularum narrationum compositione, e. gr. A. I. 73. II. 27. Hoc sensu etiam sumantur quae dicit Iosephus Arch. pr. 1. 2. 3 XX. 12. 1. B. I. I. 1. 2. Distinguendum tamen est inter unitatem materiae totius operis, unitatem structurae et compositionis, unitatem partis alicuius totius operis, unitatem singulorum librorum, unitatem brevis cuiusdam narrationis. Ita fit ut ὅλη sit πολύμορφος et simul opus ipsum εὐσῶμα.

<sup>2)</sup> Cf. praesertim Dionys. ad. Pomp. c. 3 et 6; id., de Thuc. c. 9; Diod. Sic. XVI. 1. 1-2; XX. 1. 1 et 5; Polyb. II. 40. 5. III. 1. 4-7. IV. 28. 4-6; V. 31. 4-7; VIII. 4. 1-7. IX. 21. 14: XIV. 1. a 1-5; XIV. c. 12. XXXII. 25. 2-8; XXXIX. c. 1. et c. 2. — Perspicuitatis et continuationis gratia Tacitus observat ordinem temporis et rerum (H. II. 38; item Iosephus. Arch. 7. 3. 3), causam neglecti ordinis affert, perspicuitati vel tunc providet (A. I. 58; II. 4; IV. 71; VI. 22; H. I. 10; II. 8. III. 46. IV. 67.); immo perspicuitatis gratia ordinem neglegit (H. II. 27; III. 46. A. IV. 71. VI. 38. XII. 40. XIII. 9.), digressiones reicit vel numerum earum imminuit (H. IV. 5; 48; V. 2. A. I. 73. II. 27; 35; III. 25; 55; 65; IV. 4. 6. XII. 24. XV. 72.). Idem de digressionibus sentit Plinius Ep. V. 6. 42; et Iosephus Arch. XX. 10. 1; XX. 8. 3; qui etiam expressis verbis de hisce loquitur B. I. IV. 9. 2; VII. 3. 2; Arch. XI. 3. 10.

<sup>3)</sup> Cf. Dionys de Thuc. c. 13-20; Diodor. Sic. I. 8. 10; I. 9. 4: I. 41. II-12; Polyb. X. 21. 5-8; XIV. 1. a. I. 5; XXIX. 12. Flav. Ios. Arch. XX. 8. 3.

<sup>4)</sup> Cf. Dionys. ad Pomp. c. 5-6; Diodor. S. XI. 46. 1; XV. 1. I. Polyb. I. 14. 5; II. 61. 6-7; VIII. 10. 3-9; X. 21. 8; XVIII. 41. 1; XXIX. 21. 8. Tacitus. A. II. 32. III. 55. 65. XIV. 14. 64; XVI. 16; H. I. 3.; III. 51; Agr. 1-2; 46. Flav. Ios. Arch. VI. 14. 4. B. I. pr. 4.

<sup>5)</sup> Cf. Dionys. Arch. XI. 1. 3; id., de Thuc. c. 14-15; 34; 39 sqq: id., ad Pomp. c. 3-5; Diodor. S. XX. c. 1; XX. c. 2. 1-2; qui arte tantum rhetorica opus esse censem; contra quos Polybius postulat ut orationes quam maxime cum veritate concordent (II. 56. 10; XII. 25. a — 25 b; XXXVI. 1. 6.), neque, cum sint maximi momenti (XII. 25. a. 3; XXXVI. 1. 6.), sine gravi causa inserantur (XII. 25. i. 5.).

<sup>6)</sup> Cf. Polyb. XVI. 18. 2-3; XXIX. c. 12; Cicero Orat. 20. 66; Flav. Ios. Arch. XII. 1. 6.

Prae ceteris tamen animum advertas, quaeso, ad id quod huic generi magis proprium est, quo ab Isocratea historiographia imprimis differt: affectum excitat, ἔκπληξιν scilicet vel πάθος, et ἔλεον et φόβον.<sup>1)</sup> Quod finem hunc sibi proponunt vel denuo intendunt rerum scriptores<sup>2)</sup>, praesertim e praceptis, ab Aristotele tragœdiae datis atque a Theophrasto vel Praxiphane historiographiae impositis, defluxisse putatur. Attamen non ipsius Aristotelis auctoritati sed potius ingenio eorum qui historias legebant, impunitandum est quod tam cito tamque diligenter a plerisque auctoribus methodus illa exculta est. Sed et rhetoricae artis praecepta multum hac in re apud illos valuisse nemo negabit, cum et ars ipsa rhetorica affectuum excitationem querat,<sup>3)</sup> cumque et rhetoris et rerum scriptoris institutio atque officium sint eadem,<sup>4)</sup> et ambo praecepta ad ἡθοποιίαν et δραματικὸν διήγημα excolendum data historiam conscribentes ante oculos haberent.<sup>5)</sup> Nequaquam tamen historiographi ad unum omnes methodum quam dixi, secuti sunt, cum imprimis ipse Polybius ne artem coleret diminuta veritate omnino respueret, aliique scholae praecepta secuti verbotenus saltem vera se narraturos profiterentur.

Ad affectum, ἔκπληξιν sive πάθος, excitandum iuvat ipsius argumenti natura; quapropter vide etiam quae supra de materia pulchra.

<sup>1)</sup> Cf. Dionys. de Thuc. c. 15. Polyb. II. 56. 7-10 ubi de Phylarcho agit; VII. 7. 1. sqq.; XV. 34. 1-4; quo tamen sensu verba eius intellegenda sint ipse nos docet IV. 28. 5; XII. 25. h. 3; XII. 28. a. 9. XII. 25. a. 5. XV. 36. 1-7. Insuper vide Plutarch. Alex. 75; id., Themist. 32; Pericl. 28; Cicero. Ep. V. 12. Flav. Ios. B. I. pr. 4. — Quae praecepta quomodo ad usum sint translata a Duride, Togo, Nicolao, Phylarcho, Cleitarcho, nos docent v. d. quorum opera laudavi supra p. 11-12. adn. 1.

<sup>2)</sup> Cf. infra p. 15. adn. 3.

<sup>3)</sup> Cf. R. Volckmann, Die Rhetorik der Griechen u. Römer. 1885. 273. sqq.

<sup>4)</sup> Cf. Cicero. Orat. III. 15. 62. II. 12. 51; id., de Orat. II. 9. 36. Quintilian. Inst. II. 4. X. 1. 31; quae omnia e fontibus graecis defluxisse monere vix necesse est.

<sup>5)</sup> Cf. de ἡθοποιίᾳ: Auct. ad. Her. II. 2; II. 31; IV. 50. 5L. 55. Cicero. de Orat. III. 53. 202. II. 45 189. id., Orat. 37. 128; et 38, 131; id., Invent. I. 54. 104; II. 9. 29. Quintilian. Inst. VI. I. 1-13. VI. 2. 32; VI. 9. 30. et 52; VIII. 3. 61. Aristot. Rhet. III. 2. et II; Vide insuper quae ea de re digessit R. Volckmann. o. c. 163. — Quod ad δραματικὸν διήγημα attinet cf. Cicero. Inv. I. 27. Auct. a. H. I. 8. Quintilian. Inst. II. 4. neconon W. Schmidt, Neue Jahrb. XIII. (1904.) 472.

magna, iucunda sunt dicta. Sed insuper eandem ob causam varietates et simul necessitas fortunae, eventus inopinati, περιπέτειαι, παράδοξα, παράλογα,<sup>1)</sup> deorum in res humanas impulsus, oracula, vindicta, portenta divina,<sup>2)</sup> necnon et ρόμια βαρβαρικά, παροιμίαι, aītia diligenter describuntur. Praeterea modus ipse narrandi evidencia sua (ἐνάργεια) ἐκπληξιν petit, ἔλεος vel φόβος excitat sive cum ea quae eveniunt describuntur, sive cum homines et ea quae agunt et sentiunt vel sentire se profitentur. Quamobrem ad mentis condiciones et animi affectus, ad causas psychologicas potius quam ad res ipsas scriptores illi intendunt, ideoque etiam homines qui rebus gerendis praefuerunt tamquam dramatis personas in scenam producunt. Ubi et quid res gestae in animum dramatis personae valeant, quid rursus haec contra agat, attente considerant. Deinde cum ad rem gerendam in scenam prodit persona quae primas partes agit, expressis verbis habitum corporis animique eius describunt, vel agentem vel loquenter, qualis sit, ostendunt. Ea vero, quae fiunt, maiore evidencia atque affectuum excitatione nonnumquam narrant cum, quae ipsi rerum gestarum testes sentiunt et agunt, nobis ante oculos ponunt. Ad quem finem attingendum etiam apte adhiberi laudationem, vituperationem, orationem, descriptionem, de quibus supra locutus sum, satis ex se intellegetur.

Praecipue tamen cum materiam digerunt atque componunt, artis dramaticae praecepsis obsecuti, animum legentium alliciunt, expectationem excitant, metum inculcant, spem accendunt, misericordiam movent; id quod poetae tragico necnon rerum scriptori hellenistico-peripatetico proprium est.<sup>3)</sup>

<sup>1)</sup> Cf. Cicero ad fam. V. 12. Polyb. XV. 34. 1-3; XV. 36. 1-3; XVI. 18. 2-3; Flav. Ios. Arch. pr. 2-3; VIII. 15. 6; XIII. 12. 7; XVIII. 6. 11; XVIII. 5. 3; XIX. 6. 1; — Quomodo Duris, Phylarchus, Pompeius Trogus, Plinius, Flav. Iosephus, Nicolaus Damascenus hoc et ea quae sequuntur praecepta observaverint nos docent v. d. quorum opera supra p. II-12 adn. 1. laudavi.

<sup>2)</sup> Cf. Polyb. II. 56. 7; XVI. 11 et 12. 9: et locos, quos attuli adn. praec.; Flav. Ios. B. I. VI. 5. 3; VI. 3. 4; VII. 5. 1. Arch. IX. 10. 2; X. 10. 6. XIV. 7. 2.

<sup>3)</sup> Cf. P. Scheller, o. c. 68-71, R. Heinze: Vergils E. T. 467. Quae methodus neque prioribus saeculis fuit plane incognita, raro tamen data opera exemplo poetae tragicorum adhibita esse videtur: cf. C. Wachsmuth, o. c. 506. 543. H. Fohl: Tragische Kunst bei Herodot. 1913. passim. F. M. Cornford: Thucydides Mythistoricus. 1907. 129. sqq. H. Peter. W. u. K. 115-116; 234.

Inde fit ut data occasione universa historiographiae et artis rhetoricae elementa, quae singula iam persecutus sum, — unitatem, symmetriam, continuitatem, modum narrandi, alia dico, — ad dramaticam rerum gestarum compositionem et constructionem efficiendam ad tragœdiae finem attingendum deliberate adhibeantur.

Ad hanc igitur methodum dramaticae artis affinem et praecepta eius ad usum a rerum scriptoribus translata praesertim animum intendamus necesse est.

Antiquis iam temporibus, — graeco-romana dico, — illud historiographiae genus vocatum est *θεατρικόν*, *τραγικόν*, δρᾶμα μέya, illa res conscribendi via ac ratio ἐπιτραγῳδεῖν.<sup>1)</sup> Quomodo autem artis dramaticae praecepta ab historiographis ad usum translata sint, nonnisi in universum brevibus verbis nos docent scriptores antiqui, finem tragœdiae scilicet peti, ἔλεος et φόβος excitari vel summatis πάθος et ἐπιληξιν, cum magna evidentia περιπέτειαι describuntur. Cicero tantum, Ep. ad fam. V. 12, plura atque uberiora nos docuit. Collatis tamen praeceptis, ab Aristotele in suo de arte poetica libro datis, multa perspicua fiunt quae nonnisi obiter dicta et quasi adumbrata apud posteros inveniuntur. Quo fit ut — quod maioris est momenti, — facilius atque uberiorus investigari possit quomodo rerum scriptores, huius generis praeceptis obsecuti, ipsam materiam construxerint composuerintque. Quamquam difficultates haud parvas obstarere quivis agnoscit. Non enim ipsa opera rerum scriptorum huius aetatis hellenisticae, sed eorum qui sua ex eis hauserunt, vel qui eos secuti eundem conscribendi modum imitari conati sunt, nobis remanent. Attamen, quamvis non in omnium horum methodum conscribendi adhuc accurate investigaverint viri docti, nihilominus, inter se collatis quae hinc

Apud rhetores quoque et philosophos invenitur: cf. I. Bruns: Das litt. Porträt der Griechen. 1896. 579-583 et ssq. (de Aeschinis orationibus); H. Diels ap. E. Norden, Einl. 1912. I. 452 (de Platonis dialogis.); Th. Bacher, Dramat. Komposition der Plat. Republik. I-III. Progr. Augsburg. 1869-74-75.

<sup>1)</sup> Cf. Polyb. II. 16. 14; II. 56, 7-10; VII. 7. 1. Plutarch. Alex. 75; Them. 32; Pericl. 28; Artax. 6, Pelop. 34, Demetr. 53. Diodor, Sic. XIX. 8. 4; XX. 43. 7.

inde iam eruerunt, summatim hoc nostrae doctrinae praeceptum praecipuum explanari iam posse existimo.<sup>1)</sup>

Materiam requirunt magnam, pulchram, iucundam, argumentum unum, perspicuum; ut tamquam ipsa tragœdia ἔλεον et φόβον excitet postulant. Structura quoque atque materiae compositio sit velut ζῶον unum, perfectum, vivum, organis instructum. Initium igitur atque totius historiae decursus itemque finis accurate indicentur.<sup>2)</sup> Ab initio usque ad finem historia sive actio cum evidenter repreaesentetur, procedat impulsis impellentibus utrisque („in actie en reactie”), causis cum effectibus, effectibus cum causis diligenter contextis („streng oorzakelijk verband”).<sup>3)</sup> Magis ac magis varietatibus fortunae crescat nostra expectatio, cum dramatis personam primas partes agentem intuemur, summa dubitatione haereamus anxii,<sup>4)</sup> donec quae iamiam futura erant subito mutantur et retar-

<sup>1)</sup> Praeter quos laudavi p. 11-12. adn. I. cf. U. v. Wilamowitz, Gesch. d. Griech. Litt. præs. 171; E. Norden, Ennius u. Vergilius. 7-8; Th. Birt, Kritik u. Hermeneutik. 174; C. Saunders, The class. Weekly. XV. 3. 17; et quos infra attuli locos Aristotelis artis poeticae.

<sup>2)</sup> Cf. Aristot. a. p. (rec. Christ.) 1449. b. cap. VI.: „ἔστιν οὖν τραγῳδία μίμησις πράξεως σπουδαίας καὶ τελείας μέγεθος ἔχούσης, .. δρώντων καὶ οὐ διάταγγελίας, δι' ἐλέον καὶ φόβον περαιόνος τὴν τῶν τοιούτων παθημάτων κάθαρσιν. id., 1450. b. cap. VII: „κεῖται δε ἡμῖν τὴν τραγῳδίαν τελείας καὶ δλῆς πράξεως εἶναι μίμησις ἔχούσης τι μέγεθος ... δλον δε ἔστιν τὸ ἔχον ἀρχήν καὶ μέσον καὶ τελευτήν ... (1451. a)... ώστε δεῖ ... ἔχειν μὲν μέγεθος, τοῦτο δὲ εὐσύνοπτον εἶναι ... id., 1451. a. cap. VIII ... χρὴ οὖν.. καὶ τὸν μύθον, ἐπει πράξεως μίμησις ἔστι, μιᾶς τι εἶναι καὶ ταύτης δλῆς καὶ τὰ μέρη συνεστάνται τῶν πραγμάτων οὕτως, ώστε μετατιθεμένου τυρὸς μέρους η ἀφαιρουμένου διαφέρεσθαι καὶ κινεῖσθαι τὸ δλον.”

<sup>3)</sup> Cf. Arist. a. p. 1455. a. cap. XVII. „δεῖ δε τοὺς μύθους ουριστάναι καὶ τῇ λέξει ἀπεργάζεσθαι δι μάλιστα πρὸ δύματων τιθέμενον — οὗτο γὰρ ἄν εν αργέστατα δρῶν ωπερ παράντοις γιγρόμενος τοῖς πραπομένοις εὐδίσκοι τὸ πρέπον ..... — δοσα δέ δυνατὸν καὶ τοῖς σχῆμασιν ουραπεργάζόμενον. πιθανώτατοι γὰρ ἀπὸ τῆς αὐτῆς φύσεως οἱ ἐν τοῖς πάθεσιν εἰσιν καὶ χειμαΐνει ὁ χειμαζόμενος καὶ χαλεπαίνει ὁ δογμαζόμενος δληθινώτατα.” id., 1450. a. cap. VI. „μέγιστον δὲ τούτων ἔστιν η τῶν πραγμάτων σύστασις. η γὰρ τραγῳδία μίμησις ἔστιν οὐκ ἀνθρώπων ἀλλὰ πράξεως ..; id., 1452. a. cap. X: „ταῦτα δὲ δεῖ (sc. ἀναγγωδισμός vel περιπέτεια) γίνεσθαι ἐξ αὐτῆς τῆς συστάσεως τοῦ μύθου, ώστε ἐκ τῶν προγεγενημένων ουμβαίνειν η ἐξ ἀνάγκης η κατὰ τὸ εἰκός γίγνεσθαι ταῦτα ..”

<sup>4)</sup> Arist. a. p. 1452. b. 1453. a. cap. XIII. de dramatis persona, primas agenti partes, qui affectum excitat, id., Rhet. A. II, 1371. b.

dato quidem cursu in contrarium vertuntur; et quiescentibus quae impellerent impellerenturque, nihil iam expectatur ultra.<sup>1)</sup> Ne sit simplex ac recta via, qua pergitur, sed tortuosa, ut per „varios actus“ ad finem res tendant. „Actus“ ipsi ex variis quasi scenis („Auftritt“) concrescant, quae ipsae quoque unum et perfectum argumentum in se continent.

Quae omnia facillime efficies, si ad unam dramatis personam eamque praecipuam omnia quae fiunt referes vel si pauci pro omnibus rem gerent. Ingenium atque animi motus prodat illa suis ipsius verbis sola vel potius cum aliis sibi adversantibus, eo praesertim tempore quo in summam expectationem eorum quae futura sunt sumus adducti.<sup>2)</sup> Hinc etiam, cum permulti iisque universi in scenam prodeunt, quae singuli dicunt aguntque nobis ante oculos ponantur. Unum atque perfectum argumentum efficiant ea quae narrantur, non casu quodam et fortuito, sed ex ipsarum dramatis personarum vel multititudinis cuiusdam conglobatae ingenio atque impulsu. Quid sentiant, respuant, desiderent, sive naturae suae motibus acti sive ab aliis compulsi, scrutetur poeta ac rerum scriptor.<sup>3)</sup> Portentis et oraculis<sup>4)</sup> quae futura sunt adumbret, gradatione et antithesi sermonis et dictionis ornatu expectationem augeat<sup>5)</sup> neque eam minui patiatur evidentia maiori describens, quae ante ipsam περιπτετίαν accidunt, iamiam futura sunt. Conversionem vero rerum et finem deorum impulsu vel viribus naturae vel fato vel dramatis personarum culpa<sup>6)</sup> brevi subsequentes paucis

<sup>1)</sup> Arist. a. p. 1455. b. cap. XVIII: „ὅσιι δὲ πάσης τραγῳδίας τὸ μὲν δέος τὸ δὲ λύσις, τὰ μὲν ἔξωθεν καὶ ἔντα τῶν ἔσωθεν πολλάκις η̄ δέος, τὸ δὲ λυτόν η̄ λύσις. Ιέγω δὲ δέον μὲν εἶναι τὴν ἀλ' ἀρχῆς μέχρι τούτου τοῦ μέρους, οὐ ἔσχατόν ἔστιν ἐξ οὐ μεταβαίνειν εἰς εὐτυχίαν (ἐκ δυστυχίας ουμβαίνει η̄ ἐξ εὐτυχίας εἰς δυστυχίαν). Λύσιν δὲ τὴν ἀπὸ τῆς ἀρχῆς τῆς μεταβάσεως μέχρι τέλους. id., 1452. a. cap. X-XI et 1450. a. cap. VI. de περιπτετίᾳ.

<sup>2)</sup> Cf. Arist. a. p. 1451. a. cap. VIII; id., 1450. b., „δεύτερον δὲ τὰ ἥθη . . . τρίτον δὲ η̄ διάνοια“ e. q. s.

<sup>3)</sup> Cf. Arist. a. p. 1455. a. cap. XVII. id., 1454 a. et b. cap. XV. (περὶ τὰ ἥθη.) . . . „χοὴ δὲ καὶ ἐν τοῖς ἥθεσιν ὡσπερ καὶ ἐν τῇ τῶν πραγμάτων ουστάσει ἀεὶ ζητεῖν η̄ τὸ ἀναγκαῖον η̄ τὸ εἰκός . . .“

<sup>4)</sup> Cf. Aristot. a. p. 1452. a. cap. IX; 1454. b. cap. XV.

<sup>5)</sup> Cf. Arist. Rhet. III. 7. 1408. a; Demetr. d. Elocut. 216.

<sup>6)</sup> Aristot., a. p. 1454. a. b. cap. XV; 1452. a. cap. IX; id., 1453. a. cap. XIII.

verbis tantum delineet, ne mora inutilis, cum iam quae futura sint intellexerimus, nos taedio afficiat.

Ex ipsius rei natura patet illam materiae disponendae methodum non semper neque ad omnes res gestas narrandas adhiberi posse. Ut materiam totius historiae utpote natura sua variam ac saepe male cohaerentem rerum scriptor in unum atque perfectum argumentum disposeret, iam ipse Aristoteles nequaquam est passus.<sup>1)</sup> Igitur et res ipsa nos monet et fides, quam narrationi eorum tributuri sumus, requirit ut investigemus, quomodo rerum scriptores methodo illi obsecuti unitati argumenti studuerint.

Revera historia universalis sua natura, annalistico praesertim schemate conscripta, modico corpore concludi non potest, non est unum quoddam argumentum perfectum et tamquam *έν σώμα* et *ζῷον* coalitum. Cum vero arte et ingenio scriptor hanc unitatem construere conatur, vix est dubium quin multa quae proferre debuisse, reticeat et fidem legitimam nonnumquam violet. Attamen singulas partes sive maioris sive minoris momenti historiae cuiusdam universalis, imprimis autem opus modicum quod tractat materiam simplicem — monographiam dico, — tali modo construi et disponi posse facile intellegemus.<sup>2)</sup> Quae de historia universalis et monographia — de methodo scilicet ac praexceptis utriusque — inter se discrepantibus sunt prolata, parum recte dicta mihi videntur et iam satis sunt refutata.<sup>3)</sup> Fortasse addere licet, non tantum praexcepta „unius personae et argumenti”, sed etiam totam dramatica componendi arte methodum facilius in tale corpus modicum *εὐσύντοπον* construendum adhiberi posse. Eo autem magis admiratione digna mihi videtur quae apud Tacitum invenitur structura, qua tanti ambitus materiam eadem saepius methodo et in partes dispositam elaboravit et simul uno corpore conclusam composuit.

<sup>1)</sup> Arist., a. p. 1459 a. cap. XXIII.

<sup>2)</sup> Ipsas partes operis vel libri saepius esse dispositas in unum quoddam corpus nos docent Th. Birt, Kritik u. Hermeneutik. 173-174. 177. 181. 198; R. Reitzenstein, H. W. 90; R. Laqueur, B. Ph. W. 1908. 961.

<sup>3)</sup> Cf. P. Scheller, o. c. 79-82, qui recte, ut mihi videtur, disputavit contra ea, quae R. Reitzenstein, H. W. 84, sqq., aliique protulerunt. Cui nuperrime assensus est M. Pohlenz, Einleit. I (1924). 3. 127.

in his annis super nos misit mala omnia ad res publicas mutandas circiter  
et ab aliis quibusdam annis etiam in istis annis obiecta sunt cum huiusmodi

inobditum sibi subnoscere sollicitum missi isteque nuntiis illi eisque vel  
secundum tradidit, subiectum isteque est enim hoc operis cognitio non  
squaerat sed malius nos autem stolidi sententia annos multos illi  
negligit mutatisque operis nuntiis in sequente ministris inveniuntur alii

## CAPUT SECUNDUM.

### PRAEFATIO.

Modum narrandi atque res gestas disponendi et construendi in Taciti Annalium et Historiarum libris obvium „dramaticum” esse et „tragicum” iterum atque iterum repetere non desierunt qui vel obiter de nostri rerum conscribendarum arte locuti sunt. Pauci vero, methodum eius perscrutati, nos docuerunt eum, suo quidem usum ingenio, certis tamen artis praeceptis obsequi non dignatum esse.

Jam olim — ut paucis quae de hisce sunt prolata complectar — F. Süvern<sup>1)</sup> utriusque operis universam rerum structuram esse dramaticam, tragœdiae instar compositam, nos monuit, necnon res maioris momenti, quamvis in libris plerisque dispersas et annalistico narrandi modo disiunctas, in unum tamen corpus esse redactas, eo quod tamquam unius viri vita et viribus et ingenio continerentur. Insuper singulorum vitae enarrationum plerasque partes breviores, et ipsas in se unum et perfectum argumentum complectentes, dramatica structura compositas et tragicē ornatas esse memoravit easque paucis delineavit.

Deinde, multis annis post, F. Leo<sup>2)</sup> quaedam a F. Süvern obiter dicta fusius elaboravit. Attamen pro re nata et ipse delineavit potius quam descripsit, quomodo historia uniuscuiusque imperatoris dramatica structura et tragœdiae more composita sit. De personarum vero, quae prodeunt, mutua actione, ut ita loquar, et reactione, de scenis singulis arte constructis, de singulis dramatis

<sup>1)</sup> Abhandl. Berlin. Akad. d. Wissenschaften. 1822-23. Ueber den Kunstkarakter des Tacitus, praesertim 95-96. 107. 121.

<sup>2)</sup> Kaisergeburtstagsrede Göttingen. 1896, praes. 16; id., Geschichte der Latein. Litteratur. K. d. G. VIII. 467.

personis in scenam prodeuntibus, de affectuum excitatione — sive πάθος vel ἔλεος vel φόβος est sive ἐκπλήξις, — gradatione et antithesi, περιπτεία, καταστροφῆ quaesita breviter tantum egit.

Necnon F. Vianey<sup>1)</sup> eodem fere tempore addidit quaedam, minimeque spernenda, iis quae de „scena” et „actibus” constructis, de dictionis et elocutionis illecebris adhibitis iam olim innotuerunt. Crebrius et fusius dehinc de variis illis artis tragicae praeceptis permulti mentionem fecerunt. Neque tamen H. Peter, neque E. Norden, G. Boissier, C. Bretschneider nova protulerunt.<sup>2)</sup> E. Bacha<sup>3)</sup> vero, de ceteris narrationibus continua in se unis atque perfectis, de structura dramatica modo tantum generali agens, unam ex istis fusius tractavit, historiam scilicet Tacfarinatis, „histoire en morceaux détachés et méthodiquement composés d'un drame en quatre actes.”

Praesertim vero R. Reitzenstein<sup>4)</sup> nobis demonstravit viam, qua ea quae singula maleque cohaerentia ab aliis fuerant allata, expositione continua in unum quoddam corpus colligenda essent et cum iis, quae prioribus posterioribusque rerum scriptoribus sunt propria, conferri possent, unde in toto historiographiae generis decursu methodo illi locus suus assignaretur. Doctrinam enim et methodum historiographiae hellenisticae peripateticae apud Ciceronem in Epist. ad fam. V. 12. obviam, simul quomodo Sallustius praeceptis illius doctrinae steterit — ut ipse autumat — nobis ostendit, artemque apud Tacitum conspicuam illi doctrinae esse affinem paucis innuit. Ab aliis doctrinam hanc deinde accuratius esse delineatam et descriptam iam antea diximus. De Taciti vero arte egit fusius E. Courbaud,<sup>5)</sup>

<sup>1)</sup> Quomodo dici potest Tacitum fuisse summum pingendi artificem. 1896. 17-19; 23. 33. sqq.

<sup>2)</sup> H. Peter, Die geschichtl. Litteratur ü. d. Röm. Kaiserzeit. 1897. II. 317-318. 321. — E. Norden, Ant. Kunstprosa 1898. I. 328-9. (1915<sup>2</sup> u. Nachträge). — id., Einleit. i. d. Altert. I<sup>2</sup>. 450-451. (I<sup>2</sup>. 4. 78-79). — G. Boissier, Tacite<sup>6</sup>. praes. 85. sqq. — C. Bretschneider, Quo ordine ediderit T. singulas annalium partes. 1905. 38. 61-62.

<sup>3)</sup> Le génie de Tacite. 1906. 134-5, 153-4, 162, 165, 169-170, 202 adn. 4. 317; — de Tacfarinate 122. sqq.

<sup>4)</sup> Hell. Wundererzählungen. 1906. 84 sqq.

<sup>5)</sup> Les Procédés d'art de Tacite dans les Histoires. 1918. Cf. praes. 28-9, 126-7, 133, 143, 148, 156-9, 220, 241-2, 281 sqq.; de dramatica et tragica structura singularium librorum et Historiarum et Annalium vide p. 148, ubi recte disputavit, ut puto, contra ea, quae invenies apud H. Peter, Gesch. Litt. II. 317, et K. Witte, o. c. 418-9.

plura eaque maioris momenti addens iis, quae iam F. Vianey, H. Peter, M. Cl. Bovvaert<sup>1)</sup> nos docuerunt. Quamquam enim rationem, quae inter Tacitum et historiographos hellenistico-peripateticos intercedit, non tractavit, structuram tamen in libris Historiarum obviam luculenter delineavit et distinete indicavit quomodo scenas singulas composuerit, dictionis et elocutionis illecebris adhibitis finem sibi proprium attigerit. Epistolas quasdam eadem fere structura et arte a Plinio minore esse dispositas et conscriptas fusius ostendit, uti iam memoravi, F. Lillge. Sed postquam methodum hellenistico-peripateticam esse adhibitat — dramatis scilicet vel tragediae instar eas esse compositas et in partes distributas, finem etiam tragediae, affectum scilicet excitationem, esse quaesitum — satis luculenter exposuit, non intempestive monuit ipsas epistulas esse conscriptas ut Taciti Historiarum libris insererentur, neque immerito eiusdem generis narrationes nonnullas breviores apud ipsum Tacitum extare suspicatus est.<sup>2)</sup>

Historiographiam igitur taciteam — ut quae exposui concludendo complectar — non tantum „dramaticam” esse dicendam sed libros etiam Historiarum atque Annalium e narrationibus maioris ambitus, tragica structura compositis, vitam singulorum imperatorum complectentibus, constare, omnibus persuasum est. E brevioribus rursus narrationibus, annalistico tamen narrandi modo disiunctis, etiam ipsas maioris ambitus narrationes esse compositas, uti e. g. e Germanici et Seiani historiis vitam Tiberii, plus semel multi monuerunt. Mentionem deinde iam fecerunt nonnulli paucisque delineaverunt narrationes quasdam breviores, easque continuas et

<sup>1)</sup> Tacitus als Kunstenaar en Geschiedschrijver, 1912.

<sup>2)</sup> F. Lillge, o. c. 230. adn. 5. — Quibus adnumerandus mihi videtur F. Pfister, Woch. f. Klass. Phil. 1917. n. 37-39, qui, quamquam praesertim de argumento egit atque de divisione materiae, sic concludit: „... die Uebersicht über die vor-taciteischen Geschichtsschreibung und den Zusammenhang des Tacitus mit ihr ... zeigte, daß auch zu Tacitus noch viele Fäden von der griechischen Geschichtsschreibung herüberführen. Wer diese weiter nachgeht, wird noch manche Seite der taciteischen Geschichtsschreibung in ein helleres Licht setzen können.” Contra H. Goelzer, Tacite. Histoires. 1920. LXXIV, artem dramaticam apud Tacitum obviam parum recte ad poesin epicam refert.

perfectas, more longiorum historiarum dramatice constructas et tragice ornatas. Scenas etiam singulas, secundum eadem artis praeepta dispositas, apud nostrum haud raro occurrere non fugit eos, qui investigationem paulo diligentiorem instituerunt. Desideratur tamen hucusque, quam R. Heinze (p. 4. adn. 1.) postulavit expeditio atque explicatio.

Quapropter illae breviores narrationes continuae atque perfectae, de quibus tertio loco mentionem feci, mihi videntur praeceteris dignae, quae altius investigentur. Sunt enim parum notae atque, quantum scio, ab aliis non tractatae; sunt cognitu faciliores, ut *εὐουρωπται*, praesertim si in partes dividuntur divisaeque altius perspiciuntur. Neque enim partes totius structurae dramaticae propriae ibidem nimis sunt imminutae vel plane evanuerunt, ut saepius fit in narrationibus quae e singula tantum scena constant. Neque rursus partes earum nimis sunt dispersae atque disiunctae, ut in narrationibus maioris ambitus et annalistico narrandi modo abruptis, in quibus praeterea exhibenda erant res gestae maioris momenti, facta ut ita dicam historica, omnibus nota, ideoque ad dramaticam rerum structuram componendam saepius parum apta.

Ad finem igitur, quem mihi proposui, investigatio huius generis narrationum praeceteris prodesse videtur.<sup>1)</sup> Quia tamen mihi imprimis libros annualium perlegenti eius modi numerus satis magnus occurrit, paucas easque, ut reor, praecipuas elegi ex iis quae in libris annualium primo et secundo sunt obviae, de ceteris, si res prospere successerit, postea acturus.

Sunt autem quae sequuntur: I. 16-30; 31-44; 63-68. II. 8-25; 27-32.

---

<sup>1)</sup> Cf. R. Reitzenstein, o. c. 89-90: „Aber wer die schwere Aufgabe unternehmen wollte ihn (Tacitus) als Künstler zu würdigen, müßte die Gruppierung des Stoffes innerhalb den einzeln Abschnitte verfolgen und mit Sallusts und Cicero's Theorien vergleichen.“ — De huiusmodi generis narrationibus vide insuper: K. Witte, o. c. 272-273, 418-19; Th. Birt, Krit. u. Herm. 1913, 173-4, 177, 181; F. Süvern, o. c. 107; F. Lillge, o. c. 230. adn. 5, 290. adn. 2; 229.

---

A.

PANNONICARUM LEGIONUM SEDITIO.

(ANN. I. 16-30.)

Quamquam rerum structura, in hac narratione perspicua, illi quae sequitur narrationi satis affinis, iam olim legentium animos in se converterat, huc usque non altius et accurate investigata est.<sup>1)</sup> Quam si quis paulo diligentius perscrutatur, nequaquam eum latere potest, illam totam e quinque partibus praecipuis constare.

Quarum pars prima complectitur capita 16-19; quibus narrantur quae geruntur die primo<sup>2)</sup> in castris Blaesii, a militibus seditiosis et ab ipso Blaesio. Seditio coalescit, erumpit. Magis magisque crescit periculum, cum subito res convertuntur. Dubii tamen haerent animi legentium, metu futurorum erecti.

Pars secunda complectitur capita 20-23; quibus narrantur quae geruntur die secundo, in castris Blaesii, a militibus atque Blaesio. Denuo seditionis incendium erumpit iam altius atque latius. In maius crescit periculum, cum subito paululum imminuitur. — Vix tamen ullus legentium dubitat quin graviora instent.

Pars tertia complectitur capita 24-27; in quibus narrantur ea, quae geruntur die tertio, in castris Blaesii, a militibus et Druso. Tertio iam seditio erumpit, vel potius, latius diffusa perrumpit omnia. Summum iam adest periculum. Subito tamen vis militum vi repellitur atque ad tempus aliquatenus coercita est.

Pars quarta complectitur caput 28, quo narrantur ea, quae geruntur nocte insequenti, in castris Blaesii, a Druso et militibus. Seditionis fastigium una cum eius conversione describuntur.

<sup>1)</sup> Cf. W. Liebenam, N. Jahrb. für Philol. u. Paedag. 1891. tom. 143; 734. E. Bacha, o. c. 287-291; qui tamen structuram organicam et totius narrationis nexus causalem parum perspexit. — Structuram narrationum illarum esse affinem illi dispositioni, quam in epistulis suis nonnumquam C. Plinius adhibuit, nonnisi paucis innuit F. Lillge, o. c. 230. adn. 5. Methodus vero, quam v. d. investigationi adhibuit, saepius nobis profuit.

<sup>2)</sup> Agitur utique de rebus gestis, quae in historiae decursu alicuius momenti sunt, non de iis quae praecedunt, quaeque sequuntur totius narrationis summam, quibusque quasi paululum removendis ab ipso rerum scriptore tempus non assignatur.

Pars quinta complectitur capita 29-30; quibus describuntur, quae geruntur die quarto in castris Blaesii, a Druso et militibus. Decrescit iam seditio atque mox evanescit.

Partes illae praecipuae rursus coaluerunt e partibus minoris ambitus, quae et ipsae continent rerum gestarum quoddam corpus unum atque perfectum, quamquam intime nexus causali coniunctae sunt cum eiusdem generis partibus, quae praecedunt quaeque sequuntur.

In nostra quae sequitur divisione atque descriptione partes illae indicabuntur signis suis, scilicet 1. 2, etc., et, cum subdividuntur: 1), 2), etc.

Constant rursus illae partes minoris ambitus ex elementis duobus, inter se intime connexis, impulsu scilicet et repulso („actie en reactie”) sive singulae personae sive turbae congregatae sive virium naturae vel fortunae, quae in historiae decursum aliquid valent. Indicabuntur illa quoque elementa notis suis, scilicet a, b, et, cum subdividuntur: a et β.

Quamquam divisiones illae et subdivisiones non ad unam omnes eadem perspicuitate factae sunt, tamen vix est quod moneam eas ad finem nostrum attingendum satis superque sufficere.

### DIVISIO.<sup>1)</sup>

(c. 16. 32-1.) Exordium quod res gestas earumque causas summatim adumbrat.

#### I.

(16. 1-6.) 1. a. „Castris aestivis . . . solita munia.” Blaesius disciplinam non curat.

b. „Eo principio . . . aspernari.” Inde animus rebellis cordibus militum se inserit.

(16. 6-18. 19.) 2. a. „Erat in castris . . . hostem aspici.” Perennius milites ad seditionem impellit.

a. „Is imperitos . . . congregare.”

β. „Postremo . . . hostem aspici.”

<sup>1)</sup> Cf. Taciti libr. Ab Exc. d. Aug. ed. 5a. Halm-Andresen. 1918.

- b. „Astrepebat vulgus .. sedes foret.” Inde tumultus erumpit.
- (18. 19-19. 2.) 3. 1). a. „Properantibus Blaesus ... adcelerabo.” Blaesus rebellibus occurrit.  
b. „Aggerebatur .. adcreverat.” Milites contra perseverant.  
a. „Cum tandem .. pervicacia victi.” Blaesus vero instat.  
b. „... incepsum omisere.” Unde milites opere desistunt.
- 2) a. „Blaesus ... mandata darent.” Blaesus animos eorum emollire conatur.  
b. „Adclamavere .. provenissent.” Milites, animis lenitis, sibi quaedam paciscuntur.
- (19. 2-5.) 4. a. „Projecto iuvene ...” Filius Blaei legatione fungens proficiscitur.  
b. „... modicum otium ... obtinuissent.” Animus tamen superbus et rebellis militum remanet.

(20.) Perspicuitatis causa quaedam de seditione Nauporti exorta narrationi quae sequitur praemittuntur.

## II.

- (21. 18-19.) 1. a. „Horum adventu ...” Manipuli tumultuantes castra Blaei intrant.  
b. „redintegratur ... populabantur.” Inde renovatur seditio.
- (21. 19-30.) 2. a. „Blaesus ... parebatur.” Blaesus se iis opponit.  
b. „Illi obniti .. miscent.” Rebellantium vires augentur.  
a. „Illi obniti .. permoverent.”  
b. „Adcurruntur .. miscent.”
- (22. 31-23. 25.) 3. 1) a. „Flagrantior ... concivit.” Cum ubique flagrat seditio, unus e multis turbam ad vim inferendam impellit.

- b. „*pars militum.. effunderentur.*” Iam manus inferunt.
- 2) a. „*Ac ni.. pernotuisset.*” Mendacem esse qui eos excitaverat interim pernotuit.
- b. „*... haut multum.. ingenium.*” Unde aliquatenus tumultus imminuitur.
- a. Legati periculo eximuntur.
- β. Tribuni et praefecti tamen depelluntur.
- γ. bona eorum diripiuntur, centurio quidam interficitur.
- (23. 25-29.) 4. a. „*Quin ipsae.. tuentur.*” Rebelles inter se manus conserunt.
- b. „*ni miles.. interieciisset.*” Intercedentibus commilitonibus quies aliquatenus ad tempus reddit.

(24. 30-4.) Perspicuitatis causa Drusus, a Tiberio missus, antequam in scenam prodit, memoratur.

### III.

- (24. 4-7.) 1. a. „*Druso propinquanti..*” Drusus advenit.
- b. „*... quasi per .. propiores*”. Milites ei obvii veniunt animo habituque rebelli.
- (25-26.) 2. 1) a. „*Postquam introiit..*” Drusus intrat.
- b. „*... portas.. circumveniunt.*” Milites vim parant.
- 2) a. „*Stabat Drusus.. poscens.*” Drusus contentionem incipit.
- b. „*Illi.. terrebantque.*” Milites, incerti, varie se gerunt.
- 3) a. „*Tandem .. par esset.*” Drusus responsum incertum recitat.
- b. „*Responsum .. haberentur.*” Inde milites irati maiora exigunt.
- α. „*Responsum .. perferret.*”
- β. „*Is .. haberentur.*”

4) a. „*Ad ea.. obtenderet..*” Drusus quicquam pro certo statuere recusat.

b. „*clamore... arbitrio esse.*” Illi, magis magisque efferati, eum increpant.

(27.) 3. a. „*Postremo deserunt.. iaciunt.*” Minantur, impetum faciunt in Lentulum.

a. „*Postremo.. aspernari.*”

β. „*Nec multo post.. repetentem... circumsistunt, iaciunt.*”

b. „*...iamque.. protectus est.*” Vi vim repellente protectus est. (28. 10-16)

#### IV.

(28.) „*Noctem minacem.. lenivit.*” Expressis verbis περιπέτεια indicatur.

(28. 14-24.) 1. 1) a. „*nam luna.. languescere.*” Luna languescit.

b. „*Id miles.. maerere.*” Inde milites incerti, dubii, anxii haerent.

2) a. „*Postquam.. tenebris..*” Luna evanescit.

b. „*...ut sunt.. lamentantur.*” Inde milites desperant.

(28. 24-9.) 2. 1) a. „*Utendum.. recipias.*” Caesar desperantes aggreditur,

a. ipse et β. per suos centuriones.

b. „*commotis.. suspectis.*” Milites ancipites haerent, in meliora inclinant.

2) a. „*... tironem.. dissociant.*” Centuriones eos dissociant.

b. „*Tum redire.. referunt.*” Singuli disciplinam ferre non iam recusant.

#### V.

(29. 10-16.) 1. a. „*Drusus.. exciperet.*” Drusus metum intendit, spem offert.

b. „*Orantibus.. mittuntur.*” Milites, iam devicti, ut legati mittantur, orant.

(29. 16-23) 2. a. „*Certatum.. auctoribus.*” Qui cum Druso  
erant, poenas posidunt.

b. „*Promptum.. iubet.*” Drusus asperiora  
iis infligere imperat.

(30.) 3. a. „*Tum.. praevenit.*” Poena noxiis inficta,  
formido irae coelestis militum animos con-  
vertunt.

b. „*Et Drusus.. rediit.*” Quo facto Drusus  
profectus est.

Ut magis perspicua fiant quae iam exposui quaeque adhuc  
expositione indigent, describam accuratius structuram et modum  
narrandi in historia seditionis obvia. Iterum atque iterum eadem  
repetere necesse erit cum quinque narrationes nostrae singulae  
describentur. Fusius tamen agam de prioribus, deinceps vero  
pauca verba ad explananda quae de ceteris sentio, sufficient.  
Simil breviter postea complecti quae digessi haud abs re erit, ne  
lector benevolus grana inter paleas quaerat.

I.

1. Expressis verbis narratio, quae incohatur, ab ea quae  
praecedit secernitur, eodemque modo paucis praemissis initium eius  
indicatur: „*Hic status erat cum... eo principio.*” Quae singuli  
gerunt, una scena<sup>1)</sup> colliguntur („*habe bantur.. lascivire..  
asper nar i.*”) et describuntur ita ut animus in rem convertatur  
et affectus, expectatio sc., excitetur: „*lascivire.. miles..  
discordare.. pessimi... aures praebere.*” Iam inde ab initio  
dramatis personae, quae primas partes agunt, legatus scilicet et  
milites, simul in scenam prodeunt, altera ab altera movetur.

2. Crescit vero actio dramatica et arctius iam nodus ille quem  
drama requirit connectitur, cum unus e multis, seditionis concitator  
Percennius, exsurgit. Antequam appareat — simul ne narrationis

<sup>1)</sup> De scena sive descriptione, fr. gall. „tableau”, cf. E. Courbaud, o. c. 121  
sqq. Notandum est, hac expositione „scenam” idem velle ac scenam descriptam,  
fr. gall. „tableau”, („schildering, tafereel”) a scena, dramaticae structurae parte  
quadam fr. gall. „scène”, germ. „Auftritt” discrepantem, et narrationi pro-  
gredienti vel „actioni” oppositam.

ordo postea turbaretur — ingenium eius et animus accurate et expressis verbis delineatur, unde animo erectiore expectemus quae futura sint. „*Procax*” dicitur et „*doctus..*”, contra quem nihil valent milites „*imperiti.. ambigentes.. nocturnis colloquiis..*”

Desribit adhuc narrator et pingit scenam, perficit eam, quam incohavit („*impelle re.. congregare.*”) Minoris enim sunt momenti quae geruntur, sunt parum conspicua lenteque perficiuntur. Desunt qui impellant ad agendum, qui repellantur. Mentis condicio, animus rebellis depingendus est. Etiam tum, cum Percennius, temporis momento aptissimo usus, seditiose milites alloquitur, scena potius depingitur, quam quae geruntur repraesentantur.<sup>1)</sup> Eadem scena comprehenduntur quae contra agit multitudo conglobata. Scenam enim depinxerat rerum scriptor, ut patet e modo infinitivo historico, e tempore imperfecto descriptivo, e participiis, quibus usus est. Simul tamen dramaticam structuram nequaquam neglexit: ubi describit etiam narrat.<sup>2)</sup> Crescit enim animus rebellis, im-

<sup>1)</sup> Oratione obliqua ea quae Percennius promitt, narrationi inserentur. Nec mirum: aptior enim est ad scenam depingendam quam oratio recta quae vividae et dramaticae rerum narrationi magis convenit. Praeterea initio rebellionis attenuandus videtur tenor narrationis ut suo tempore violentius, oratione recta repraesentari possint quae erumpunt. Non esse distinguendum hoc loco — ut fieri solet — inter orationem rectam, qua rerum scriptor orationem ut suam nobis proponit, et obliquam qua simpliciter refert aliena, collatis quae sequuntur orationibus satis ex se patet. —

Animum et mentis condicionem ipsius oratoris delineat oratio, cum irridendo milites concitat: confer quaequo, quae de ingenio eius expressis verbis iam fuerunt prolata („*procax lingua.. miscere coetus doctus.. histrionali studio..*”), cum modo quo nunc loquitur („*in modum servorum.. alio voce eosdem labores.. trahi adhuc.. per nomen agrorum.. decem assibus.. aestimari.*” ) Oratorem doctum et simul eos quos alloquitur significat oratio, cum praesertim quae ad finem suum attingendum sunt apta proferat. Breviter enim difficultates tractat, brevissime „*honestum*”, cum „*ignavia*” potius esse „*peccatum*” dicit. Latissime vero quam sit utilis seditio exponit. De misera eorum condicione fusius agit, rationem habet laesae eorum dignitatis („*in modum servorum.. ausuros.. ignavia..*”), respicit religionem („*precibus vel armis.. ignavia peccatum..*”) et invidiam („*non obtrectari a se..*”). Denique post tantam rationum copiam uno verbo festive eos accendens orationi finem imponit.

<sup>2)</sup> Cf. quae modo generali de Tacito agens et in maius sua augens iam olim protulit M. Claeys Bovvaert, o. c. 111: „Zijn (Tacitus') schilderingen gaan steeds met handeling gepaard.” 115: „de handeling gaat tafereelsgewijze vooruit. Maar ook het omgekeerde is waar: elk tafereel is niet zoozeer

pellentibus qui impelluntur, imprimis vero instigante Percennio, uno e multis. Simul de quibus querantur, quid sentiant milites, contionante Percennio dramatice repraesentatur et singulari evidentia exhibetur, cum singuli ipsi agentes inducuntur, non describuntur („hi.. notas, illi canitiam.. plurimi.. tegmina.. corpus exprobrantes.”).

De industria pinxerat nobis poeta οὐηρήν (achtergrond), pro qua res maioris momenti quae instant distincte ac perspicue exhibebuntur. Ubi enim animus rebellis ad agendum impulit, non amplius depingit scriptor sed tantum narrat, perfecto tempore historico usus, ut simul quieti priori opponeret turbam magis magisque dramatice commotam („eo furoris venere...”). Tum vocabulo „postremo” narrationem quae sequitur secernit ab iis quae praecedunt et aliquatenus retardatam (*depulsi*) continuat maiore iam evidentia cum, praesenti tempore historico pro perfecto usus, omissis coniunctionibus singulos denotat actus („vertunt... locant... congerunt... exstruunt.”).

3. Cum Blaesus advenit, primum inter se collidunt ambae dramatis personae. Sed depinguntur rursus et describuntur quae ab utroque geruntur („increpabat... accreverat...”). Ipsa vero descriptione animos legentium expectatione erectos devincit scriptor, cum simul quomodo ingruat certamen mira evidentia repraesentat („aggerebatur... iam accreverat...”), singulos gestus et verba Blaesii oratione directa distincte denotans et eo ipso Blaesii ingenium, ineunte narratione, implicite delineans. Nec mirum; ingravescere iam periculum et ad fastigium quoddam esse perventurum, rerum quandam conversionem instare vix quemquam legentium latere puto. Ipso vocabulo „iam” cum tempore plusquamperfecto coniuncto adumbratim περιπέτεια illa annuntiabatur. Rebus, quae fuerant ante, perspicue depictis opposita conversio altius legentium animis inhaerebit. Quae tunc, scena remota, subito inrumpit („cum” *inversum*) et distincte ac perspicue nobis enarratur, ita ut ordo verborum ordini rerum adaptatus legentium animos usque ad finem devinciat („cum pervicacia victi... inceptum omisere.”).

Ut antea Percennius eos concitaverat, ita nunc Blaesus,

---

beschrijvend als wel verhalend. Het schildert bijna altijd de voortstuwend handeling.”

aptissimo temporis momento usus, animos rebellantium contione demulcire conatur<sup>1)</sup>). Quae Blaesus consuluit, breviter et arroganter a militibus probantur („adclamavere . . . provenissent.”), quo mentis eorum condicio atque animus adhuc rebellis indicatur. Praeterea cum quae proxime futura sint satis constet et tumultum ad tempus consedisse manifestum sit, nihil ultra expectatur ceteraque abundant.

4. Hanc narrationis partem tamquam in se unam et perfectam absolvit rerum scriptor eo modo quo eam incohavit, scenam scilicet depingens, qua militum mentis condicio post res gestas nobis exhibetur („profecto iuvene . . . modicum otium . . . superbire . . .”). Nequaquam tamen ratio et ipsa seditionis causa sublata est; immo vero in ipso narrationis fine breviter quae futura sunt adumbrat poeta, quo animum legentium illuc convertat („modicum otium . . . superbire miles . . . cetera mandaturi . . .”).

Simpliciter narrantur ea quae, ab ipsa seditionis nostrae historia non quidem aliena sed extranea, alibi, Nauporti scilicet, facta sunt. Perspicuitatis et continuitatis servandae causa inseruntur hoc loco, inter duas scilicet narrationis partes et quidem ante caput XXI, cum seditionem ceteroquin iam gliscentem denuo accendant.

## II.

1. Descriptione brevi praemissa narratio redintegratae seditionis incohatur („vagi . . . populabantur.”).

2. Blaesus denuo prodit, resistit, vim iam adhibet. Milites vero et ipsi, magis magisque commoti, vim vi repellunt; quae omnia fusius cum evidentia depinguntur („obniti . . . prensare . . . ciere . . . clamitantes . . .”). Mox vero res rebus impellentibus singuli rebellantium actus, scena remota, praesenti tempore historico

<sup>1)</sup> Oratio haec eum exhibet ut multa dicendi arte praeditum, et ingenium eius accuratius definit. Ad animos enim audientium devinciendos quam maxime est idonea; quippe quae euphemismis culpam minuere videatur („desideria tam nova . . . parum in tempore . . . temptare . . .”), quae de querelis eorum ut benigne accipiendis ac serio perpendendis loquatur, („desideria ferenda . . . cur contra morem . . . fas . . . vim meditentur . . .”), quae iam viam qua ad finem salva disciplina perveniant ostendat, („decernerent legatos . . .”), cui post tot rationes praemeditato et substructo consilio suggesto finis imponatur.

vivide repraesentantur („*cumulant.. obtestantes.. faciunt..*”), cum simul pari evidentia exhibetur quomodo rerum testes afficiantur („*invidiam misericordiam, metum et iras..*”). Qua ratione rerum scriptor vehementius legentium mentes commovet, misericordia afficit, ut arrecto animo quae futura sint expectent. Quae vero instant neminem latent. Tota iam turba conglobata tumultuatur.

3. Breviter denuo, initio novae scenae dramaticae, mentis militum condicio, animus rebellis describitur („*Flagrantior... duces.*”).

Prodit deinde unus e multis, Vibulenus, singulari iam evidentia notatus („*Vibulenus.. gregarius miles.. ante tribunal.. allevatus humeris.. turbatos.. intentos.. et deinde.. fletu, pectus.. os.. manibus verberans.. praeceps.. advolutus..*”). Qui magis magisque animos audientium exclamationibus potius quam contione excitat<sup>1)</sup>. Ipse, ut Percennius, cum prodit, scena fusius descripta depingitur („*adlevatus.. intentus.. incendebat.. verberans.. disiectus.. praeceps.. advolutus..*”). Ubi tamen oratione eius concitati milites adversarios suos vi aggredi parant, narrantur perfecto tempore historico ea quae deinceps magis magisque commoti milites gerunt („*concivit ut...*”). Mox evidentia maiore singuli eorum actus repraesentantur una cum mentis condicione, („*tantum consternationis et invidiae.. pars.. pars.. alii..*”).

<sup>1)</sup> Pro re nata simulque ut mentis audientium condicionem et ipsius contionatoris ingenium delinearet ac structuram redderet magis dramaticam, non oratione perpetua contionantem sed exclamationibus brevibus acribus instigantem concitatorem inducit rerum scriptor, et quidem temporis momento ad impellendos rebelles, ut vim maximam inferant, prae ceteris apto. Clamores illi, quamvis ex animo commoto profecti structura adcurata et praemeditata sunt compositi ingeniumque eorum qui audiunt et ipsius oratoris significant. Clamat orator vehementer ira commotus quippe qui miles gregarius. Pathetico affectu et artificiis rhetoriciis nimis utitur, ut mendax et fallax: stilum, quaeso, nota „*fratri vitam.. fratrem mihi*” — „*iugularit.. trucidare*”, quae verba poetici sunt coloris; — „*cum osculis.. cum lacrymis*” — „*quis reddit?*” — „*Responde!..*”, „*iube!..*” — „*ne hostes quidem..*” quibus ultimis verbis in modum sententiae clamoribus finem imponit. — Necnon rebus attende: quod patitur et quidem innocens, quod sui ipsius curam non agit sed utilitatis tantum communis, πάθος excitat et simul invidiam in Blaesum. Non multis argumentis allatis audientes commovere conatur, sed paucis iteratis et velut in unum collectis. Misericordia enim et amore iustitiae et cura sui commotos ad occisi fratris vindictam adigit; nec mirum, cum in tanta animi concitatione quam maxime causae illae valeant.

Simul distinctis verbis περιπέτεια iam adumbratur („ac ni...”). Rationibus ac causis agendi allatis („reperi.. abnuere.. pernotuisset..”) non plus quam perfecto tempore scriptor utitur sed imperfecto et quidem modo indicativo „aberant” ad veram rerum condicionem describendam et repraesentandam apto; simul curat ut ordo verborum et temporum ordini rerum gestarum adaptatus ad summam expectationem animum nostrum erigat, et summum periculum una cum rerum conversione nobis exhibeat.

Quamquam periculum decrescit, saevitur in tribunos et legatos; paulatim vero magis magisque irae resident. Narrationem igitur rerum scriptor absolvit, sed ad tempus tantummodo. Cum enim ipsum describit finem, suggerit quae instant maiora. Quae respondeantur ad mandata milites expectant animo commoto et irritabili, ut ex ipsarum legionum inter se dissensu, dramatice repraesentato, facile intellegitur.

Perspicuitatis causa, parte quadam narrationis absoluta, expnuntur quae interim alibi sunt gesta, ut melius intellegantur quae eorum impulsu a nostris iam gerentur. Drusus a Tiberio ad ipsam tumultus sedem dimittitur.

### III.

1. Initio narrationis scriptor rursus describit ac depingit exponens quomodo Drusus maiore quam Blaesus auctoritate cum rebellibus configens statim una cum militibus in scenam prodeat. Ingenium vero eius paulatim in narrationis decursu, ut res postulant, distinctis verbis vel implicite nobis exhibit. Iam statim quaedam proprietates eaeque maximi momenti notantur, constantia scilicet et animus eius impavidus („Stabat Drusus.. poscens.”). Postea capite 29 additur „rudis dicendi.. nobilitate ingenita.. promptum ad asperiora.” Item mentis militum condicio eorumque aspectus statim delineatur verbis adiectivis et participiis inter se oppositis: „obviae.. neque laetae.. neque fulgentes,.. deformi.. contumaciae propiores.” Animum legentium iam excitat scriptor, cum describit quid sentiant itaque adumbrat quae facturi sint.

2. Animum atque vires sibi iam sumunt seditiosi milites, considerati agunt. Drusum omni celeritate praeveniunt. Scriptor descriptionis evidentia affectum excitat, metum inculcat, cum adhibet verborum ordinem asyndeticum et praesens historicum tempus („firmant, jubent, circumveniunt.”), cum rerum cursum extemplo inhibet. Tum scena latius iam et maiore evidentia depicta, simul dramatice constructa evolvitur („stabat.. poscens.. strepere.. trepidari.. pavebant.. terrebant..”). In qua praesertim inter se opponuntur Drusus constans ac quietus et multitudo conglobata vehementerque commota. Singuli iam actus singulae animi commutationes timor ira denotantur et simul legentium affectus, metum imprimis, excitant.

Nec mirum: cum enim iam bis seditio deflagravisset, cavendum fuit poetae, ne tertio erumpente tumultu animos legentium, defatigatos iam et deceptos, male retineret neve a rebus gestis averteret. Effecit vero quae intenderat: quemvis legentem mira sua evidentia, vi etiam dramatica singulari modo commovet, cum iam acrius, utpote viribus auctis et violentiore animorum motu, adversarii inter se confligant.

Quam ob causam etiam res quae deinceps geruntur accelerato iam cursu et semper sibi instantes praesenti tempore historico narrantur, neque describendae scenae causa ut fit ante rerum conversionem interrumpuntur.

Silentibus tandem omnibus Drusus ambiguum Tiberii responsum recitat. Unus e multis, cuius nomen memoratur, pro omnibus agit, maiores postulat. Cum Drusus dubia rursus et incerta respondeat, maiores sibi sumunt spiritus milites et victoriae certi acerbiora clamitant, eum irrident despiciuntque. Vix quisquam dubitat quin ad summam vim inferendam iam sint parati ac dispositi.<sup>1)</sup>

<sup>1)</sup> Clamores rebellantium, oratione obliqua relati, non prorsus ad orationis perpetuae exemplum sunt dispositi. Attamen non carent quadam structura, qua diversa et parum cohaerentia in unum quoddam argumentum ornata colliguntur. Suo loco componuntur verba et res, rationes variae disponuntur vel iterantur. Quod ad elocutionem attinet, primo haec observanda sunt: ad animum rebellantium dramatico modo describendum et detegendum, non ad persuadendum Druso clamores illi referuntur. Quapropter commata asyndetica, breviter sed distincte relata, indignationem et irritationem ostendunt, quaestiones iteratae exacerbationem proferunt, sententiae verbis quae sitis vel asperis et facta animi tranquillitate adversarium irrident („cunctis permitti.. filios familiarum..”)

3. Irato animo ad minas impelluntur; primo manus intentant in omnes quos obvios habent inimicos, deinde invadunt in unam certam personam, nomine indicatam. Quem ludibrio habent, cui fugienti coram Druso vim inferunt. — Iam inde a scena quam depinxerat, praesentis tempore historico narrat scriptor, sed initio lentius et tardius procedit cum ipsius Drusi verba, deinde rebellantium clamores refert, paulatim pergit celerius, quamquam retinet adhuc narrationis decursum, participiis describens potius quam narrans („intentantes... infensi... rogitantes...”).

Tum vero ad summum iam tendens periculum asyndetico praesenti tempore historico utitur („ingruunt... iaciunt.”).

Singuli eorum actus denotantur, ordo verborum ordini rerum adaptatur („deserunt... iaciunt,”) et praesertim quae sequuntur usque ad „protectus est.”) Hac ratione enim evidentia scilicet descriptionis ante ipsam rerum conversionem affectum excitat ut summa iam animi haesitatione quae futura sint expectemus („iamque cruentus... et exitii certus...”). Simul vero verbo „iamque” adumbrat rerum conversionem quae instat et iam distinctius enuntiatam („ad cursu multitudinis”) pro certo denique affirmat.

Diligenter tamen animadvertisendum est, vi tantum coactos rebellantes ab inceptis destitisse, atque finem quendam rebus gestis esse impositum. Ipse nempe animus militum nequaquam est delinitus, sed quam maxime irritatus, et summa scelera iam instare manifestum est.

#### IV.

Verbis „noctem minacem et in scelus erupturam” statim ab initio scriptor adumbrat violentum quendam finem seditionis instare et actuum nexum quovis modo vi resolutum iri. Neminem autem fugit, simul verbis quamvis breviter expressis („fors lenivit”) totius narrationis conversionem et quidem ante rerum eventum distincte significari, hac tamen ratione ut expectatio legentium erigatur potius quam minuatur. Fortasse tam clare ea quae futura

---

frustrari solitum.. novum plane...”), ludibrio afficiunt, cum orationi finem imponunt („an praemia.. poenas esse”). Argumentum vero tribus constat partibus quarum quaeque iteratur ut magis valeat; adventus Drusi non fuit necessarius („cur venisset... permitti”), fides eius non est sincera („Tiberius.. venturos”), responsū ab eo allatum est iniustum („novum.. arbitrio esse.”).

sunt praesignificat hoc consilio ut maxima περιπέτεια a ceteris rerum conversionibus in prioribus narrationis partibus obviis distinguatur. Tangit etiam animos legentium oppositio eademque coniunctio finis tertiae partis, quo praepotentes milites dominantur, et initii partis quartae, quo subita rerum conversio incohatur.

1. Deficiente luna animos rebelles metus intrat. Singulare iam evidencia ante totius narrationis solutionem auctor scena depingit quomodo magis magisque dubii haereant milites. Singulos actus, singulos animorum motus, prout crescit ac decrescit timor vel ira, prout cum rebus sibi adversantibus luctantur, repraesentat.<sup>1)</sup> Portentum occultum, ipsa nox ad metum excitandum iuvant.<sup>2)</sup>

Cum vero luna evanescit, animum despondent. Eo ipso rerum ordo prorsus invertitur. Mentis enim condicio, e qua omnia quae sunt facta, nascebantur, iam mutatur. Simul velut abieco penicillo scriptor praesenti tempore historico narrat, cum distinete ac certo ad concedendum inclinant milites („lamentantur”), culpam profitentur („sua facinora”), quid sentiant quid facturi sint deliberant.

Una cum portento ipse Caesar cum suis centurionibus se rebus immiscet. Quae fors incohavit, ut fit, ceterae dramatis personae perficere conantur. Celeres atque intrepidi, viribus utpote suis praepotentibus freti, in scenam prodeunt. Magna igitur evidencia notat scriptor celeritatem qua agunt, praesenti tempore historico asyndetico usus, ut III, 3. in fine.<sup>3)</sup>

<sup>1)</sup> Cf. III. 2, ubi ingruente seditione eodem modo animorum motus repraesentat.

<sup>2)</sup> Ut vehementius affectum excitaret, lunam deficientem claro coelo nunc magis ac magis splendentem, nunc vero rursus decrescentem, saepius igitur mutantem induxit poeta his verbis „prout splendidior obscuriorve . . .”. Neque enim „ortae nubes” causa vicissitudinis dicuntur, ut patet e verbis „coelo . . claro . .” et „postquam”, sed lunam plane occultant et obnubilant. Hac enim ratione factum est ut lunam, quae iam antea identidem periclitabatur, tunc vero nubibus exortis prorsus evanuit, penitus periisse crederent milites. Parum recta mihi videntur quae ad h. l. adnotavit v. d. H. Furneaux, *The Annals of Tacitus*. 1884.

<sup>3)</sup> Centuriones aptissimo temporis momento allocutione milites adhuc haesitantes ac dubios impellentes dramatica evidencia nobis exhibentur, Singula eorum verba, ut sunt prolati, non in orationem continuam collecta ac disposita, nobis referuntur. Singulas enim milites hic illic dispersos adeunt, breviter vehe- menter adhortantur suadent minantur. Auditorum animos spectant verba eorum: nihil sunt nisi quaestiones breves, celeres, iteratae, quae audientes impellunt

Iam adumbrantur quae futura sunt; milites, dubii adhuc, ad meliora inclinant. Maiori rursus evidentia repraesentat scriptor singula temporis momenta, ut paulatim incohatur, augetur, perficitur eorum animorum immutatio, saepius retardata; quam ob rem vicissim tempore praesenti historico et praesenti infinitivo descriptivo utitur („*commotis.. suspectis.. dissociant.. redire amor*“). Consilium vero eorum et mentis condicionem, non referens ac narrans, sed, ut saepius, dramatica evidentia singulos actus denotans scriptor repraesentat: „*omittunt.. referunt*.“

Sine dubio res ad finem quandam, nequaquam tamen ultimum, pervenerunt. Incohata melius quam absoluta eorum mentis immutatio dicitur, cum ea perpendimus quae antea sunt facta. Satis vero iam patet *καταστροφήν* instare.

V.

1. Postero die Drusus, ut „*rudis dicendi sed nobilitate ingenita ac promptus ad asperiora*,“ milites breviter, severo, consilii certus, victoriae sibi conscius alloquitur,<sup>1)</sup> quaeque centuriones incohaverunt, perficit. Milites contra, supplices ac vix se esse impetraturos quae cupiunt sperantes, rogan ut legati mittantur. Singulis temporis momentis animum magisque demittunt.

2. Breviter et concise consilium centurionum dramatica evidencia repraesentatur. Deliberant in partes divisi. Quorum plerique, ut ipse Drusus, asperi ingenii, singulis commatibus asyndeticis, severo affirmantibus, quae sentiunt iubent potius quam suadent.

---

quidque faciendum sit iis iam suggerunt. Quibus, ut summa ac caput, sententia imponitur: „*privatam gratiam.. recipias*.“ Rationes agendi paucas sed iteratas atque evolutas in unum quasi corpus collectas, ut III, 2, centuriones afferunt. De difficultate agunt („*quousque.. Romani capessent*“), de utilitate („*quin potius.. recipias*“); de honestate non loquuntur nisi forte „*filium imperatoris*“ huc pertineat. Sed imprimis ultima eorum ratio notetur: qua turbam congregatam disiiciunt, dissipant in temporis discrimine post rerum conversionem seditionem suis viribus privant, quippe quae valeat tantum apud multos in unum collectos („*privatam gratiam..*“).

<sup>1)</sup> De commatis asyndeticis parasyllabis quibus scriptor ut alibi hoc loco utitur, cf. E. Slijper. Een eigenaardigheid van Tacitus zinsbouw. 1918. De illo artis rhetoricae praecepto ceteroquin satis cognito vide Auct. ad Her. IV, 20; Cicero. Orator. 66, 221.)

De sententia Drusi atque eius execuzione paucis agitur: quam celerrime ad finem totius narrationis auctor properat.

3. Quo in fine, ut in exordio, scenam depingit: plusquam-perfectum et imperfectum tempus („auxerat.. durabat“) una cum verbis oratione obliqua allatis non solum quae aguntur intime inter se coniungunt, sed etiam cum iis quae praecesserant, quasi eodem temporis momento peracta, arte connectunt. Ea colliguntur, quae ad animum militum delineandum et exponendum inserviunt, hac ratione ut maiori evidentia consilium eorum, plenum obsequium atque animi conversio exhibeat, ut brevius simul exponatur totus rerum decursus. Ipsa rursus scena arte dramatica constructa representat milites deliberantes, culpam suam confitentes: „... impios.. castra infausta temerata.. piaculo..“ Deinde etiam per diversa temporis momenta ipsi in partes dispersi et inter se oppositi exsequuntur quae decreverant: „primum.. dein.. nonanus.. mox.“

Tam plane ac perfecte considerat animorum motus, ut Drusus, nihil iam ultra expectans, statim rediret.

Una igitur cum huius ultimae partis fine plene ac perfecte absolvitur totius narrationis argumentum.

Paucis colligere omnia quae exposui, necessarium duxi, ut ea clarius eluceant quae ipsius structurae ac compositionis magis sunt propria.

Totum narrationis argumentum, in se unum ac perfectum, in quinque partes, inter se plane distinctas, divisum est.

Quarum tres priores eadem structura sunt compositae hac quidem ratione ut paucis praemissis certamen inter rebelles ac duces, magis magisque ingruens, utrisque impellantibus, ad fastigium quoddam perducatur. Imperant ipsi milites, deflagrat vero ad horam eorum animus rebellis, inhibetur seditionis cursus.

Illud vero rerum fastigium identidem in maius erigitur, maiori semper animorum motu tumultus ad summum pervenit ut ex ipsa dictione et elocutione, ex ipsis rebus gestis, ex ordine quo ipsae dramatis personae prodeunt, satis liquet.

In singulis etiam partibus certamen tum gravescens tum decrescens variorum temporum usu delineatur. In prima parte adhibentur deinceps infinitivi praesentis temporis descriptivi, imperfectum

tempus descriptivum, perfectum tempus historicum, praesens tempus historicum. Deinde scena depingitur ante rerum conversionem, verbo „cum” incohata. Sequuntur perfectum tempus historicum, mox infinitivus praesens descriptivus.

In secunda parte, 1-2, tempus imperfect. descript. et praesens histor. vicissim adhibentur, mox scena depingitur, post quam series temporum praes. hist. acceleratum rerum decursum significat. Deinde, 3-4, rursus scena maior ac fusius depicta in qua verba ab ipsis dramatis personis prolata referuntur, figuris artis rhetoricae ornata ante rerum gestarum fastigium; tum tempus descriptivum ac durativum ante ipsam conversionem. Quam sequitur rursus perfectum tempus historicum et denique imperfectum descriptivum.

Pars tertia rursus descriptione incohatur, mox vero sequuntur pleraque tempora praes. hist., tum scena latius depicta evolvitur, deinde praesens hist., vel vicissim praesens et perfectum historicum adhibetur, et, cum res iam celerius decurrent, plura praesentia historica sequuntur. Rebus vero finem imponit perfectum historicum.

Via autem, qua pergunt rebelles, accurate delineata, paulatim dicit usque ad fastigium quoddam rerum; de quo identidem aliquantulum descendit ac deflectit, neque ad finem suum ultimum pervenit. Obsistunt enim vel ipsi qui contra agunt, vel rerum fortuna. Sed cum deflagrat certamen, in unaquaque narrationis parte identidem magis praevalent milites, maius semper periculum, maior animorum motus existit, et ea quae futura sunt adumbrantur, ut partes singulae inter se connectantur. Fastigia certaminis, quae dixi, variis modis quam maxime animum legentium in se convertunt, praesertim vero singulari evidentia qua rerum condicio ante conversionem describitur, atque ipsa antithesi, qua inter se opponuntur quae ante fuerant quaeque post conversionem sequuntur. Ipsum vero temporis momentum, quo res convertuntur, expressis verbis notatur: „cum tandem ...; ac ni; ... iamque.”

E totius narrationis structura iam intellegitur quartam partem necessario alia ratione et modo esse compositam. Initio expressis verbis quamvis breviter et modo generali una cum certaminis fastigio rerum conversio annuntiatur. Fusius deinde, ut in prioribus conversionibus, exhibet nobis scriptor quomodo minuatur et rursus augeatur denique omnes opprimat animorum consternatio.

Magna cum evidentia dramatica rerum structura ipsam conversionem ultimam repraesentat; singula temporis momenta memorantur et saepius rerum decursus inhibetur aut iis qui contra agunt impellantibus acceleratur, ut animo suspenso finem expectemus. In quinta parte perficiuntur ea quae iam incohata erant: breviter concise, quibusdam vero temporis momentis notatis, καταστροφή instans atque ingruens nobis repraesentatur.

Iam patet totum narrationis argumentum esse certamen („handling“) in se unum et absolutum, ἐν δογματικόν, quod non tam rerum quam animorum motus consistit. Via certa, quamvis tortuosa, pergunt qui certamen incohant — saepius quidem sed constitutis legibus inhibiti — et perveniunt usque ad summum paene fastigium, a quo declinant et descendunt.

Qui contra agunt, Blaesus, Drusus, singulis rerum conversiōnibus magis iam viribus privantur, spe destitūntur, cum tandem rebus iam desperatis miro fortunae auxilio adiuti, subito usque ad summum potentiae perveniunt.

B.

GERMANICARUM LEGIONUM SEDITIO.

(ANN. I. 31-44.)

Huius seditionis narratio saepius iam animos eorum praesertim qui historiographiae intenti sunt, in se convertit.<sup>1)</sup> Structuram vero eius raro quisquam nec accurate tractavit; sed cum ei quae praecedit valde sit affinis, hic illic brevius iam agendum esse puto. Argumentum totius narrationis quattuor partibus, in se solidis atque perfectis, constat.

Quarum pars prima agit de iis quae geruntur primo die,<sup>2)</sup> in castris aestivis, a militibus et Caecina. Incohatur seditio, paulatim

<sup>1)</sup> Cf. quae de iis dicta sunt capite tertio.

<sup>2)</sup> Quamvis hic illic expressis verbis temporis decursus ab auctore non designatur, e rebus gestis tamen satis patet brevi atque absoluto temporis momento, uno scilicet die, peragi ea quae ceteris exhibere intendit rerum scriptor.

crescit, deinde erumpit, castrisque ipsis potiuntur rebelles. Post quae, cum ad fastigium quoddam pervenit, certamen desinit. Animorum vero commotio minime residet; graviora contra imminent.

Pars secunda narrat ea quae geruntur paulo post alio die in castris iisdem aestivis, a Germanico et militibus. Seditio rursus erumpit, in maius crescit periculum ita ut ipsi Germanico immineat, cum subito aliquatenus deminuitur, animique vehementer commoti paululum leniuntur, hac tamen ratione ut Germanicus ipse tandem contumeliose vincatur. Novum vero certamen imminere auctor iam adumbrat commemoratis rebus a Germanico alibi prospere gestis.

Pars tertia exhibit res quae geruntur die tertio, nocte insequenti necnon die quarto in castris apud Aram Ubiorum, a Germanico et militibus. Ubi tertio erumpit seditio, animi militum iam pridem commoti usque ad summum fuorem perveniunt et ipsi Germanico vim parant, vi eum aggrediuntur, vitam ipsius et legatorum petunt, cum tandem, vi depulsi verbisque Germanici sedati, paululum resident. Anxios tamen quae futura sint expectare Caesaris amicos pars quarta memorat. In qua exponuntur ea quae facta sunt in iisdem castris a Germanico et militibus. Praevalent milites seditiosi adeo ut uxori et filiis Caesaris, timore correptis, in summo periculi fastigio misere abscedendi consilium sit, cum subito rebelles, summo eorum periculo et dedecore commoti, animo demisso convertuntur et paulatim, Germanico adhortante, plane ab incepto desistunt culpamque confitentur.

Quae supra de prioris narrationis unitate, divisionibus, subdivisionibus dicta sunt, etiam hoc loco valere, nequaquam tamen iteranda esse puto. Praenotandum tamen est, nonnumquam res gestas inter se connexas esse hac ratione ut ea quae facta sunt ( $\alpha$ ), extrema tantum parte ( $\beta$  vel  $\gamma$ ) causali nexu cum iis quae proxime instant cohaereant. Praeterea quae fiunt, semel vel bis non proprie nexus causali inter se coniuncta sunt, sed eo ipso quod utriusque partis rerum condiciones antithetice conferuntur.

#### DIVISIO.

(31. 8-20.) Praefatio, quae res gestas, rerum condicionem et causas summatim exponit.

I.

- (31. 20.-32. 32.) 1. a. „*Igitur auditō... adscisci imperatores.*” Vernacula multitudo concitat exercitum.  
b. „*Nec legatus... exemerat.*” Quibus legatus non resistit.
- (32. 32-10.) 2. a. „*Repente... proiciunt.*” Milites centuriones vi aggrediuntur.  
b. „*Septimius... Cassius... patefecit.*” S. frustra resistit, meliore vero fortuna C.  
a. „*Non tribunus... obtinuit.*” Evanuerunt qui imperabant.  
b. „*Vigilias... partiebantur.*” Contra ipsi rebelles sibi sufficiunt.
- (32. 10-14.) 3. „*Id militares... crederes.*” Quomodo rerum testes affiantur breviter indicatur.

(33-34.) Perspicuitatis causa praemittit auctor quaedam de Germanico, mox in scenam prodituro.

II.

- (34. 30-35.) 1. 1.) a. „*Dehinc... profectus.*” Germanicus ad milites seditiosos se confert.  
b. „*obvias... velut poenitentia.*” Qui rebelli animo obviam ei veniunt.
- 2.) a. „*Postquam... init.*” Germanicus castra intrat.  
b. „*dissoni questus... ostendebant.*” Animum offensum iam ostendunt.  
a. „*adsistentem... iubet.*” Disciplinam inculcat.  
b. „*Sic melius... responsum.*” Arroganter se purgant, recusant.
- a. „*Vexilla praeferri... cohortes...*” Ut se dispergant exigit.  
b. „*tarde obtemperavere...*” Quod vix exsequuntur.  
a. „*Tunc a veneratione... discors.*” Laudat contra Germanicus quae olim sunt gesta laudandoque delenire eos conatur.

- b. „*Silentio.. audita sunt.*” Taciti expectant rebelles.
- a. „*Ut seditionem.. rogitans.*” Incredendo, facunde miserando a seditione eos deterrere conatur.
- b. „*Nudant.. ostentavere.*” Exclamat, et clamore proferunt quibus gravantur; eumque sibi adiungere conantur.
- a) „*universi.. exprobant..*” β) „*mox indiscretis vocibus..*” γ) „*atrocissimus veteranorum clamor..*” δ) „*fuere etiam.. ostentavere.*”
- a. „*Tum vero.. desiluit.*” Quibus ipse resistit.
- b. „*Opposuerunt.. regredieretur.*” At ei milites minantur.
- a. a.) „*At ille.. clamitans.*” Germanicus vero reclamat,  
β.) „*... deferebat in pectus*” ... sibi manus iam infert,
- b. „*ni proximi.. attenuissent.*” cum subito amici eius intercedunt.
- a. { a. „*Extrema.. acutiores esse.*” Cui vero rebelles irrident, imprimis Calusidius,  
b. „*Saevum id visum.*” cum subito ipsa irrisione commoti leniuntur.
- b. „*spatium fuit.. raperetur.*” Ab amicis hanc nanctis occasionem G. removetur.
- (36-37.) 2. a. „*Consultatum.. duplicarique.*” Legati apud Germanicum consultant.  
a.) „*nuntiabatur..*” Annuntiantur quae instant pericula.  
β.) „*augebat..*” Aliunde metus iam augetur.  
γ.) „*at si..*” Alii contra disserunt, dubii haerent omnes,  
δ.) „*igitur..*” cum tandem quae decreverant, proferunt.

- b. „*Sensit miles... flagitavit.*” Quibus offensi milites maiora postulant.
- a. „*missio... cuiusque.*” Metu ductus G. partim morem iis gerit.
- b. „*non abscessere... donec.*” Maiora tamen milites postulant.
- a. „*donec... persolverentur.*” Quibus G. denique omnia concedit.
- b. „*...primam ac... veherentur.*” Post quae rebelles victoria elati abeunt.

(38.) Quibus opponitur seditio quae apud milites in regione Chaucorum orta est.

### III.

- (39. 6-18.) 1. a. „*Interea... adeunt.*” Legati castra intrant.
- b. „*Duae... subigunt.*” Quorum adventu exterriti in furorem milites aguntur.
- a. „*pavidos... incusant.*” Susplicantur, accusant imprimis Plancum.
- b. „*nocte... subigunt.*” Ipsum Germanicum vi aggrediuntur rapiuntque vexillum.
- (39. 16-24.) 2. a. γ. „*mox vagi... impediverat.*” Necnon legatos invadunt.
- b. „*neque aliud... sese tutabatur.*” Quos metuens Plancus aufugere conatur, sed ab iis petitur,
- a. „*ac ni... arcuisset.*” cum subito Calpurnius iis resistit.
- b. „*rarum... commaculavisset.*” Quo facto scelus ac dedecus praecavetur.
- (39. 24-32.) 3. a. „*Luce demum... dimittit.*” Et ipse Germ. delenire eos conatur, et legatos dimittit.
- b. „*attonita... contione.*” Quibus verbis adducti milites ad tempus sedantur.

IV.

- (40. 33-7.) 1. a. „*Eo in metu.. redderet.*” Amici cum Germanico consultant.  
b. „*Diu cunctatus.. perpulit.*” Ab iis compulsus G. Agrippinam amovet.  
a. „*aspernantem.. testaretur.*” Agrippina vero resistit.  
b. „*postremo.. perpulit.*” G. ei persuadet.
- (40. 7-41. 25.) 2. a. „*Incedebat.. facies.*” Agrippina cum suis e castris exit.  
b. „*gemitusque... ad Germanicum regressi.*” Quarum aspectu animi militum commoventur.  
a. „*progrediuntur.. triste.*” Animum advertunt, quaerunt,  
β. „*feminas.. externae fidei.*” mirantur,  
γ. „*pudor.. miseratio.. induebatur.*” pudore, miseratione, reverentia afficiuntur,  
δ. „*sed.. invidia in Treviros.*” ac praesertim invidia.  
ε. „*orant.. regressi.*” Quibus commoti A. supplicant, ad G. tendunt.
- (41. 25-44. 6.) 3. a. „*Isque.. vinculum erit.*” Qui eos allocutus ut se subdant exigit.  
b. „*supplices.. traderetur.*” Contione commoti culpam confitentur, poenam rogant ac veniam et Agrippinae redditum.  
a. „*Redditum.. exsequerentur.*” G. vero ut plane se subciant poscit.  
b. „*discurrunt..... excercuit.*” Cui milites oboediunt.
- (44. 9-23.) 4. 1. „*stabant.. invidia erat.*” Immo ipsi noxios puniunt.  
2. „*secuti.. memoria.*” G. ne rursus commoveantur praecavet.  
3. „*centurionatum.. militia.*” Quaedam vero militibus indulget; quibus leniti milites se subdunt.

Pauca scriptor praefatur in quibus argumentum memorat animumque legentium in eo convertit (*violentius... magna spe*). Rerum condicionem generalem etiam delineat breviter ac simpliciter ut intellegantur ea quae futura sunt („*duo apud.. levia munia.*“) Expresso verbo („*igitur*“) initium rerum gestarum indicat et ab iis quae praecesserant seiungit.

1. Tum statim quomodo a vernacula multitudine omnis exercitus magis magisque concitetur scena late depicta ob oculos ponit (inf. descript. „*implere*“ una cum abl. abs. et part. coniunctis). Animum insuper eorum offensum causis allatis ab initio fusius describit et eo ipso ingenium seductorum exhibet: „*audito.... vernacula multitudo... nuper... in urbe.. lasciviae suetae.. laborum intolerans.*“ Et cum simul modo generali maiorem eorum potentiam et victoriam quae instat, adumbrat, expectationem auget („*vernacula multitudo..lasciviae suetae — rudes animos*“).

Arte rursus dramatica auctor depingit scenam. Quae ad seditionem impellunt, gestibus et verbis concitatorum repraesentantur et augmentur collatis rebus Pannonicis, cum antithetice illic concitator, unus e multis, in scenam prodiens, hic multitudo fervescens, aestuans eoque expectationem augens inter se opponuntur. Non prodit in scenam qui imperii partes agit. Sed etiam id, quod neglegitur, auctor rationibus psychologicis allatis accurate exponit, quippe quod in res gestas multum valeat. Utraque igitur pars iam ab initio memoratur et ingenium utriusque patet („*constantiam exemerat.*“) Eadem scena descripta omnia colliguntur („*implere.. ibat.. exemerat*“). Cum actus desunt, mentis enim eorum condicio exhibenda est, quomodo scilicet paulatim animorum offensio crescat.

2. Non ab alio impulsi sed furore correpti ad agendum se conferunt. Quapropter, scena remota, tempora praesentia historica asyndetice scriptor adhibet ut maiore iam evidentia repraesentet quae celerius ac vividius aguntur („*invadunt.. mulcant.. proiciunt*“); utque etiam illud grave temporis momentum denotet, in quo partium certamen iamiam incohatum iri certo expectatur („*erregendes Moment*“). In centuriones enim vi invadunt. Habitus atque mentis condicio dramatis personarum accurate describuntur; singulorum actus indicantur ut evidentia descriptionis expectationem augeat,

cum iam discrimen quoddam instat. Tardius iam contra agunt centuriones (perf. hist. „*flagitatus est... patefecit*”). Quorum duo tantum prodeunt, qui nominatim indicantur, quorum singulos actus antithetice scriptor delineat. Ordine etiam verborum usque ad fastigium rebellium res perducit, cum primus centurionum occiditur („*donec ad exitium.*”). Contra Cassius, vi infensos perrumpens, non omnino esse deletos qui imperii partes agunt adumbrat. Cum iam ad horam desint qui contra agant, et ipsi rebelles certamine desistunt. Iam praevalent et ad finem quendam res perduxerunt (impf. descript., „*partiebantur*”).

3. Denique, ut unum ac perfectum huius partis argumentum reddatur, certamine peracto rerum condicionem breviter scriptor delineat. Atque adeo periculum et metum eorum qui adsunt dramatica arte repraesentat, cum testes id quod sentiunt ipsi eloquuntur („*militares animos coniectantibus...*”) et hac quidem ratione ut maiore iam animi commotione graviora, quae instant et adumbrantur, expectemus et res praesentes cum iis quae futurae sunt, pars prima scilicet cum secunda, connectantur.

Motu quiescente, cum res nullae geruntur, hoc loco perspicuitatis et continuitatis gratia quaedam auctor inserit ac praenotat de Germanico, mox in scenam prodituro, ut quare ac quomodo se rebus immisceat exponat.

Cuius etiam ingenium („*civile ingenium, mira comitas, et diversa a Tiberii sermone vultu arrogantibus et obscuris... — anxius occultis in se odiis... in G. favor et spes eadem... (34) quanto summae spei propior tanto... niti...*”) una cum Agrippinae animo („*paulo commotior... nisi quod castitati... in bonum vertebat...*”) expressis verbis vel implicite significat et legati ingenio opponit, ut simul novum quod instat certamen adumbret.

## II.

1. Statim prodeunt rebelles una cum eo qui nomine imperii eis resistit, post legatum nunc, ut antea Drusus, ipse Germanicus. Breviter mentis eorum condicionem una cum habitu scriptor delineat et inter se opponit („*obvias... deiectis, in terram oculis...*”

*velut poenitentiae") ut expectationem excitet et metum utque quasi scena praemissa narrationem incoheta. Tum acre surgit certamen, cum impellunt qui pelluntur, mox vero magis magisque crescente motu rebelles praesertim instant atque urgent. Singuli eorum representantur, singulorum actus, gestus, verba, animorum motus iique crescentes exhibentur, ut ipsorum legentium metus et misericordia excitetur magnumque instare discriminem mentibus inculcetur. Queruntur verbis, gestibus („questus.. quidam.. alii”), recalcitrant verbis, actibus („responsa.. tardi.”), animum ostendunt offensum, iram vix retinent („silentio.. murmure modico”), acriter iam atque acerbe Germanicum increpant verbis et actibus („nudant.. clamor.”), vim minantur manusque inferre iam parant, cum interim ipsi Germanico acerbe irrident („opposuere.. hortabantur.. obtulit gladium.”).*

Ut iam monui, hoc loco evidentiae studet auctor. Multitudinem dividit, quid singuli agant enumerat („dissoni questus.. quidam.. alii.. — prensa manu.. curvata senio membra.”), quomodo se impellant inter se et impellantur exponit, primo fusius ac quietius depingens, mox iam sibi instans, celeriter commatis asyndeticis enarrans („quidam inseruerunt.. ostendebant — discedere iubet.. responsum.. vexilla proferre.. tarde obtemperavere.”). Vel ipsum rebellium silentium, Germanico contionante, acre inter ambos certamen denotat. Tum magis magisque Germanici animus commovetur: brevibus commatis asyndetice iuxtapositis inquirendo eos urget („ubi modestia.. ubi.. quoniam.. quo.. rogitans”). Sed etiam quomodo ira et offensio rebellium qui contra agunt singulis temporis momentis crescant singulari evidentia notatur, cum iam rerum conversio instet; verba tantum et facta singulorum, quadam gradatione disposita, exhibentur („nudant universi.. mox indiscreti.. veteranorum clamor.. fuere qui.”). Extremis eorum verbis certaminis ac periculi fastigium iam adumbratur. Quod duabus partibus constare videtur, quarum prior (retardationem fortasse eam dixeris) exhibit, quomodo Germanicus invitus manibus rebellium eruptus ab amicis scena dimoveatur, altera vero, quomodo Germanicus rebus omnibus perpensis, ut graviora impedit, tandem quae postulantur concedat. Utraque rursus pars duobus constat momentis, dupli scilicet rerum conversione.

Cum in prima parte Germanicus, imperio recusato, multitudini resistens, quasi ad suicidium impellitur, ordine verborum auctor nos dicit ad summum iam periculi fastigium („elatumque deferebat..”). Ubi subito res convertuntur („deferebat ni..”) et quia amici eius intercedunt et praecipue quia ipse potentiae militum subiectus et summo affectus dedecore misericordiam eorum movet; qua paululum animi leniuntur.

2. Quod sequitur consilium una eaque perfecta scena arte dramatica auctor componit et evidentia describit, cum singuli colloquentes inducit. Utitur impf. descript. („nuntiabatur.. augebat”), oratione obliqua, dein recta; omnia denique vocabulo „igitur” seiungit ab eis quae sequuntur. Gradatione quadam singula disponit, tum rebus ipsis („...parari legatos.. hostes.... civile bellum.. in ancipiti res publica.”), tum verbis ac verborum figuris (e. gr: imperf. descript., orat. obliq., orat. rect.), et cum ad summum quoddam disputatio pervenit, descriptione remota oratione recta personas quae rem agunt repraesentat („concedentur”). Qua ratione ipsius Germanici culpam iam imminuit et excusat, neque incredibile putamus quod sequitur consilium. Rebus desperatis partim cedit rebellibus („igitur placitum..”).

3. Certamen inter Germanicum et rebelles ad finem tendit (perf. temp. histor.): secundo alterius partis momento Caesar vi coactus omnia militibus concedit. Ideoque res gestae quam brevissime absolvuntur. Quae enim contra agit Germanicus, scriptor vix refert; quae decreverat nequaquam enuntiat. Quae milites sentiunt et respondent, arrogantiam eorum delineans („sensit.. flagitans”) paucis repraesentat, cum Germanicum iterum concessisse narrare neglegit. Neque quod milites recusant, sed tantum quae contra agunt innuit („abcessere”), cum etiam Germanicum non concessisse pecuniam sed tantum persolvisse denotat („persolverentur”).

Caecina legiones I et XX specie tantum sedatas ad Aram Ubiorum dederit. De ceteris legionibus non iam verba facit scriptor, de industria quidem, puto, ut scilicet quam maxime unum ac perfectum sit argumentum totius narrationis. De iisdem enim legionibus narrantur ea quae sequuntur capite 39 et deinceps.

Rebellium vero mentis condicio, superbia scilicet invicta et arrogantia, motu quiescente, paucis depinguntur, atque adeo

repraesentantur („*turpi agmine cum...*”). Simul alia quae rerum condicionem denotant quaeque futura adumbrant, colliguntur.

Nequaquam res gestas ad finem ultimum pervenisse, nequaquam esse decertatum iam liquet, cum et ipse Germanicus, olim ut concederet vi coactus, nunc vero potentia ac viribus auctus, poenas sumpturus esse putandus sit, rebelles contra maiora certamina instare pro certo expectent (cap. 39: „*pavidos et conscientiae vaecordes...*”).

Cum iam res nullae geruntur et ad finem quendam narratio pervenit, perspicuitatis et continuitatis causa hoc loco denuo auctor inserit et breviter delineat ea quae ab eiusdem legionis militibus alibi commorantibus insidiose sunt gesta. Haec opponit iis quae apud ipsum exercitum facta sunt necnon viam parat animumque disponit ad audienda maiora quae mox milites in castris in quae reducuntur, apud Aram Ubiorum, gerent, cum simul medium inter cap. 37 et 39 tempus aptissime fallit.

### III.

1. Quo temporis momento rursus seditio oriatur ac res gerantur, simul quo modo cum illis quae praecesserunt connectantur ea quae sequuntur breviter et luculenter scriptor notat („*Legati adeunt.. duae.. hiemabant...*” ut supra cap. 31: „*duae ibi legiones I et XX*”; cum quibus confer cap. 37: „*I atque XX Caecina... reduxit.*”). Legatorum quidem adventus milites impellit, mentis vero eorum condicio, pavor, metus ac culpae sibi conscius animus verae sunt causae renovatae seditionis. Perterriti ac lymphati incohant, pergunt, ad fastigium denique furibundi rem perducunt. Quapropter, utpote furore correpti, fere soli rebelles res gerunt neque opus iam est ut a Germanico ad agendum impellantur. Unde etiam ipsa narrandi methodo celerem ac vehementem et magis magisque crescentem rerum decursum exhibet scriptor, cum singula commotionis momenta gradatim disposita suspicionem, iniuriam, vim commemorat (temp. praes. hist. „*adeunt.. subigunt*”; dein asyndetice „*moliuntur subigunt.. ingerunt.. parant.*”).

2. Qui sequitur in legatos impetus furoris fastigium, ipsius scilicet Planci vitae periculum, iam proximum esse ostendit.

Breviter tunc descriptive scriptor delineat rerum condicionem („*amplexus.. tutabatur*“) ante conversionem, quam vi tantum peractam expressis verbis („*ac ni*“) denotat. Quas ambas, conversionem scilicet ac rerum fastigium, paucis antea exhibitas, fusius deinde antithetice repraesentat („*rarum.. commaculavisset*“), ut affectum, misericordiam praesertim excitet.

3. Dubius haeret Germanicus; debiliora sunt quae contra agit; verbis tantum resistit; quae omnia rerum scriptor compositione verborum lucide depingit („*luce demum, postquam dux et miles et facta noscebantur...*“). Cum vero animum Germanicus resumit, identidem praesens tempus historicum adhibet („*imperat, recipitque.. aperit.. miseratur.. dimittit*“), quamquam narratio, longioribus intervallis disiuncta, lente ad finem decurrit.

Ut paulo ante a rebellibus, ita hoc loco ab ipso Germanico solo res geruntur; quo simul eum iam magis valere adumbratur.

Quemvis vero paulo altius scrutantem nequaquam latere puto, pauca esse quae Caesar perfecit. Excusat potius quam increpat („*fatalem diem.. deum ira*“), instruit, facunde misericordiam implorat; quae omnia ingenio eius convenient. Attamen, motus animorum tantum ad tempus residet („*attonita magis quam quieta...*“); quae vero imminere putantur, patet etiam e cap. 40. („*eo in metu.... inter furentes et humani iuris violatores.*“).

#### IV.

1. Statim ab initio, ut expectationem augeat, misericordiam auctor excitans maximum adesse periculum arte dramatica demonstrat, cum tres simul personas in scenam inter se colloquentes inducit („*arguere omnes... diu cunctatus aspernantem uxorem cum.. testaretur.. postremo.. perpulit.*“), res ipsas gradatione quadam disponit („*salus sui ipsius.. filius parvulus.. gravida uxor... inter furentes...*“), singula actionis momenta denotat („*diu cunctatus... aspernantem uxorem.. postremo.. perpulit*“). Quae omnia eadem scena depingit (inf. hist. *arguere*, cum orat. obl., et particip. „*cunctatus... aspernantem... amplexus...*“), hac tamen ratione ut id quod efficitur perfecto tempore historico narretur et scenae simul ac deliberationi finem imponat („*perpulit*“).

2. Subito in medias incidens res alteram iam scenam delineat (impf. descript. „*incedebat*” cum partic. „*gemens*” „*lamentantes*”, et adiect. vel substant. sine verbo „*tristes*” „*facies*”). Agrippinam cum suis proficiscentem describit, et quidem singulari evidentia ante ipsam summam rerum conversionem. Affectum excitari, misericordiam imprimis, non est quod moneam. Rebus ipsis quae geruntur, habitu et animo quibus induitae dramatis personae inducuntur („*muliebre*” „*uxor*” „*parvulum sinu*” „*lamentantes... coniuges*”), expressis etiam verbis („*miserabile*”) scriptor legentium animos commovet. Simul rebus, quae antea fuerant, quaeque nunc sunt per antithesim inter se oppositis („*profuga ducis uxor... non florentis... urbe victa*”), testium etiam affectu commemorato („*nec... manebant*”) augere studet metum ac misericordiam. Unde fit ut etiam post impetum in ipsum Germanicum vi factum scena haec singulari modo animos retineat, non quo periculum in maius accreverit, sed propter miseram Germanici condicionem maiore evidentia et affectuum excitatione exhibitam, cum eius liberi et uxor miserrime fugientes inducantur. Summa rerum conversio, certa scilicet animorum commutatio cum rebellium potentiae fastigio intime connexa — quippe ab ipso inducta — exponitur.<sup>1)</sup> Sed ubi humillima Agrippinae condicio etiam militum animos commovet eosque ad agendum excitat, scriptor scenam absolvit et narrativum tempus resumit („*advertere.*”) Mira iam evidentia singula actionis momenta memorans, singulorum actus indicans ac causas psychologicalas ordine requirens („*advertere... progrediuntur... pudor... miseratio... memoria... invidia*”) arte dramatica (rogant atque respondent aliis alii: „*quis...? quid...? feminas... externae fidei*”) exponit, quomodo paulatim animi militum convertantur.<sup>2)</sup>

Tum quomodo quae decreverant exsequantur breviter ac simpliciter refert, accelerans tempore praesenti historico asyndetico ea quae milites festinant („*orant obsistunt*” dein „*rediret, maneret, pars... plurimi*”).

3. Quae sequitur Germanici oratio sola inter tres suis verbis

<sup>1)</sup> Cf. etiam II. 1 „*saevum visum*”. <sup>2)</sup> Cf. II. 1, ubi seditionem accrescentem delineat.

relata post certam iam rerum conversionem temporis momento aptissimo animorum commutationem, iam incohata, perficit.

Pleraque quae antea protulit quaeque summatim capp. 34, 35, 39 referuntur, etiam hoc loco Caesar inculcat, sed fusius nunc et uberior, cum quae intendit perficiat.<sup>1)</sup> Commatis parisyllabis (5: 10—6: 6—7: 7—10: 10 —), quae brevia et plura asyndetice congeruntur, auctor evidentia repraesentat plenam quam contio effecerat seditiosorum conversionem et oboedientiam. Mira iam celeritate ad finem narrationis festinat. Quae milites loquuntur faciuntque quaeque Germanicus respondet perstringens, summa tantum rerum delineat.

4. Duabus tamen scenis fusius descriptis finem toti narrationi imponit, quibus evidentia et arte quadam dramatica plenam animorum commutationem repraesentat. Ipsi milites puniunt noxios, centuriones iudicant. Post quae expressis verbis, ut olim initium, nunc etiam finem notat („sic compositis praesentibus . . .”).

---

Unum ac perfectum argumentum in quattuor partes plane inter se diversas dividitur. Quarum priores tres eadem fere methodo

<sup>1)</sup> Prima pars orationis, cui exordium deest, id quod vulgo „utile” dicitur tractat: „Non mea sed vestra refert Agrippinam abire.” Increpat quidem crimina, poenas vero innuit tantum („militesne appelle.. Iulus Quirites vocando.. Augustus vultu exterruit”). Tum subito transitum ad secundam partem sibi parat, praeter opinionem „honestum” iam memorans („egregiam gratiam”). In hac vero parte ipse ad gratiam sibi parandam et exempli causa sortem suam facunde miseratus, eos ad „honestum” adhortatur allegans easdem rationes quae ipsorum rebellium animos iam antea commoverant, miseratio scilicet et pudor, ultiōnis desiderium, invidia, reverentia. Subito rursus sed multa arte transit ad conclusionem, non iam adhortans sed suggerens, cum affirmat quae tantum sperat („quos iam intrat”), videre se dicit quae adhuc inculcat („quorum intueor”), praepotentia fretus iam postulat ea quae suaserat („discedite .. dividite”).

Ingenium oratoris delineat scriptor: sui ipsius curam non habet Germanicus; increpat quidem, non vero punit, immo comiter milites alloquitur et denique excusat. Cum quibus confer capp. 33-34. Audientium vero ingenium respexisse scriptorem liquet ex eo quod eadem sunt rationes quas affert orator, quaeque militum animos commoverant: miseratio cap. 41: „pudor et miseratio imperatoria uxoris” c. 43 „cur enim.. ulcisceretur”; invidia: c. 41 „invidia in Treviro..” c. 43. „Belgarum decus..” reverentia c. 41: „patris Agrippinae Augusti avi memoria, sacer Drusus.” c. 43: „tua dive Auguste, ... mens, tua, pater Druse, imago ...”

sunt constructae. Quamquam, cum tempus et nexus causalem respexeris, primam iunges cum secunda, tertiam cum quarta. Via, qua pergit qui rem gerunt, in singulis prioribus partibus, impulsis impellantibus, gradatione continua ad rerum quoddam fastigium dicit, in unaquaque vero parte altius ascendens. Quibus peractis non tam animus eorum rebellis quam motus et actio paululum resident.

De singulis partibus pauca. In prima parte parum vel nihil contra agit ille qui imperat, legatus scilicet. Rerum gestarum fastigium idemque finis nihil est nisi victoria rebellium. Ad ea vero, quae adumbrantur ut iamiam futura — redintegratum iri scilicet ac vehementius conflagraturum esse inter ambos proelium, — legentes animum intendunt. In secunda vero parte is qui imperii vices gerit, Germanicus, maiore vi sese rebus immiscet, paulatim tamen et ipse primum vi deinde metu coactus recedit. Hac praesertim parte magis animos retinere conatur scriptor, dum artius quae geruntur connectit, maiore evidentia repraesentat, inducta etiam persona Germanici expectationem auget. Priore contra parte variorum temporum usu viam quae ad rerum fastigium dicit clarius delineat, ut supra iam monui.

Tertia autem parte, ut prima, rebelles praesertim rem gerunt, utpote furore correpti. Vehementius ingruunt, maioribus viribus nituntur, animo magis irato aguntur. Usque ad summum discrimen pergit, cum subito, vi coacti, paululum recedunt et, contione Germanici leniti, animos aliquatenus remittunt. Post quae iam distinctius eluent quae futura sunt. Ut in secundae partis fine iam altius quam in prioris partis exitu res Germanici augentur, ita quae in tertiae partis fine eveniunt, quamvis aucto periculo laetiorem iam exitum paululum adumbrant. Quamquam ad finem quandam res pervenerunt, tamen ad ea, quae futura sunt, legentes magis iam animos intendunt. Ipse etiam temporis praesentis usus usque ad finem et ultra retinet expectationem atque auget.

Initio quartae partis summum periculum, totius certaminis discrimen exhibetur. Non expressis verbis ipsum inter Germanicum et rebelles proelium dramatica arte scriptor repraesentat, sed vicosse milites et praevalere adumbrat magis quam describit eo quod Germanici uxoris miseram condicionem dramatica evidentia demonstrat. Quibus ipsa summa rerum conversio, dramatica arte

exhibita, per antithesin coniungitur et tamquam effectus cum causa connectitur. Ut totum certamen animorum fuerat motus, ita etiam summa rerum conversio tamquam morum ac mentis condicionis immutatio distincte exhibetur. Accurate tamen conversio (*περιπέτεια*) ab ipsa perfecta et plena subiectione (*χαστροφή*), totius commotionis fine, seiungitur. Quae subiectio quomodo post Germanici verba perfecta sit, breviter ac simpliciter et festinanter enarratur, deinde vero fusius mentis condicio describitur ut narrationi finis imponatur.

Ut supra iam monui de industria scriptor variorum temporum usu rerum gestarum viam delineat. Describit primum (ante „*per pulit... advertere*”), tum tempore praesenti historico imprimis utitur; mox, post contionem, perfectum historicum adhibet. Describit denuo, cum duabus scenis delineatis narrationem ad finem perducit.

Satis iam liquet poetam per unam tantum viam, at satis illam tortuosam, ad finem nos perducere, dum delineat semperque exhibet mentis rebellium condicionem et qui ex ea proveniunt actus. Quae cum ad summum fastigium pervenit, subito, nequaquam vero sine causa, deflectit, descendit et ad ima nos reducit; dum contra qui ad miserrimam condicionem redacti vix resistere ausi sunt, usque ad summam potentiam perfectamque dominationem pervenient. De industria etiam ipsa temporis momenta quae rerum conversionem antecedunt, poeta denotat, cum rerum condicionem praeviam accurate describit earumque immutationi opponit, vel expressis verbis („*ni, ac ni*“) conversionis momentum memorat.

---

## C.

### CAECINAE REDITUS.

(ANN. I. 63-68.)

Huc usque de hac nostra narratione ii qui litterarum arti intendunt non disputaverunt; historiographi tantum de ea egerunt, neque idem de fide eius historica et artis ingenio tulerunt iudicium.<sup>1)</sup>

<sup>1)</sup> Quidam simpliciter referunt quae Tacitus nos docuit, ut Th. Mommsen, R. G. V. 46. sqq. H. Schiller, Gesch. d. Röm. Kais. I. 1. 264. P. W. III. 1242. H. Dellbrück, Gesch. d. Kriegskunst. II. 111-112; nonnulli vero ipsam des-

Quapropter investigationem instituere in compositionem eius et artem non abs re mihi videtur.

In quattuor partes unum et perfectum argumentum dividitur; quarum prima complectitur cap. 63. 28-64. In quibus narrantur quae geruntur die primo, nocte insequent, die secundo, apud castra Romana. Caecinae milites a Germanis lassuntur, oppugnantur, opprimuntur, cum tandem periculo vix eximuntur et anxii quae futura sint expectant. Ipse vero Caecina, sollicitus sed impavidus, quae saluti inserviant providens inducitur.

Pars secunda complectitur cap. 65, quo exhibentur quae nocte secunda, die tertio, nocte insequenti Romanis dum iter conficiunt a Germanis obveniunt. Denuo petuntur, maius iam instat periculum, cum tandem vix neque illaesi se recipiunt. Mentis ac corporis eorum condicio miserrima repraesentatur.

Pars tertia constat e cap. 66-67, quibus narratur quomodo nocte tertia in castris suis Romani timore subito corripiantur, in fugam se proiciant, cum tandem Caecina eos retinet et animos eorum aliquatenus erigit.

Pars quarta complectitur cap. 68, quo ea describuntur, quae nocte tertia, die quarto et nocte iam insequenti apud castra geruntur. Germani nimis iam sibi fidentes tertio in Romanos impetum faciunt. Tum vero Romani, animo iam ac viribus resumptis, e castris erumpunt statimque hostem prosternunt, usque ad summam audaciam et fiduciam sui extolluntur.

Quae supra cum de prioribus narrationibus egi, iam monui, hoc loco iteranda mihi non videntur. Notandum vero, auctorem in secunda parte (II. 3.), cum describit personam quae res gerit,

---

criptionis evidentiam veritatis indicium esse putant ut G. Kessler, Die Tradition ü. Germanicus. 1905. 38-39. F. Knoke, Die Kriegszüge des Germanicus. 1922. 13. P. Höfer, Die Feldzüge des Germanicus i. J. 16. v. Chr., pauci denique, iam ipsi construendi methodo intenti et modo generali de ea disserentes, veritatem eius ac fidem historicam in dubium revocare ausi sunt, ut L. Spengel, Ueber d. i. B. d. Ann. des Tacitus. Abh. Phil. Philol. Kl. d. Bayr. Akad. VII. 1855. 718. W. Liebenam, N. Jahrb. f. Philol. u. Paed. 143. (1891.) 802. 805. A. Spengel, Sitz. ber. Phil. Philol. u. Hist. Kl. d. Bayr. Akad. 1903. 24-25.

relinquere eam quae contra agit. Solet enim vel actus vel saltem condicionem agentium inter se opponere (cf. III. 2-IV. 1-IV. 2-IV. 3.).

### DIVISIO.

(63. 26-33.) Exordium quod Caecinam per avia et iniqua redeuntrem reprezentat.

#### I.

(63. 33-3) 1. a. „*quas tum . . antevenisset.*” Arminius insidias struit.  
b. „*Caecinae . . inciperent.*” Caecina quomodo se defendat secum reputat.

(64. 4-12.) 2. a. „*Barbari . . occursant.*” Germani iam aggrediuntur.  
b. „*miscetur . . clamor.*” Adcurrunt Romani.  
a. „*Et cuncta . . poterant.*” Quomodo se habeant et Romani  
b. „*contra . . quamvis procul.*” et Germani, exponitur.  
a. „*Nox demum . . exemit.*” Acies romana iam inclinat, cum  
b. nox supervenit eamque a periculo liberat.

(64. 12-24.) 3. a. „*Germani . . duplicatus labor.*” Praepotentes Germani superbunt.  
b. „*quadragesimum . . secuturos.*” Caecina contra sollicitus, non exterritus, quae agenda sint disponit.

#### II.

(65. 25-32.) 1. a. „*Nox . . barbari . . complerent.*” Germani victoriā sperant.  
b. „*apud Romanos . . repulisse.*” Romani contra animum demittunt.

(65. 32-14.) 2. a. „*coepit . . humentia ultra.*” Romani periculum iam subeunt.  
b. „*neque . . prorupit.*” Arminius contra tempus sibi opportunum expectat.  
a. „*sed ut . . aures.*” Iam deturbantur Romani,  
b. „*inrumpere . . legiones.*” cum Arminius impetum in eos facere iubet.

- a. „*simul .. ingerit.*” Aggrediuntur Germani.
  - b. a. „*illi .. iacentes.*” Romani disiciuntur,
    - β. „*plurimus .. poterant.*” opprimuntur,
    - γ. „*Caecina .. circumveniebatur.*” ipse legatus petitur,
    - δ. „*ni prima .. opposuisset.*” cum subito hostis depellitur.
  - a. „*iuvit .. sectantium.*” Germani proelium derelinquent.
  - b. „*enisa .. solida.*” Itaque Romani, loco iniquo egressi, ad tuta et solida perveniunt.
- (65. 15-20.) 3. „*Neque is .. lamentabantur.*” Mentis ac corporis Romanorum miserrima condicio describitur.

### III.

- (66.) 1. a. a. „*Forte equus .. obturbavit.*” Fortuito perturbantur Romani.
  - b. „*tanta .. tutior.*” Inde iam caeco terrore correpti aufugiunt.
  - b. a. „*Caecina .. nequiret.*” Frustra primo se iis opponit legatus,
  - β. „*projectus .. viam.*” cum tandem quae petit obtinet
  - γ. „*simul .. docuerunt.*” a tribunis adiutus.
- (67.) 2. δ. „*tunc .. de adversis.*” Contione primum  
ε. „*equos .. invaderent.*” deinde exemplo animos eorum firmat.

### IV.

- (68. 8-13.) 1. „*Haud .. sententiis.*” Mentis condicio apud Germanos exponitur.
  - a. „*Arminio .. suadente.*” Quae vult Arminius,
  - b. „*atrociora .. fore.*” quae contra Inguiomerus proponit exhibentur.
- (68. 13-24.) 2. 1.) a. „*Igitur .. prensant.*” Germani aggrediuntur.  
b. „*raro .. defixo.*” Romani contra opportunum sibi tempus expectant.

- a. „*postquam.. munimentis.*” Germani vallum iam ascendunt,  
b. „*datur.. concinuere.*” cum subito Romani undique prorumpunt.
- 2). a. „*Exin... aequos deos.*” Maiore iam animo hostem invadunt.  
b. „*hosti... excidium.*” Qui animo parum valido deturbatur.  
a. „*et paucos... insecuri.*” Mentis eius condicio mutatur.  
β. „*Arminius.. Inguiomerus.. vulgus.. permansit*” Ubique fugientes caeduntur.
- (68. 24-26.) 3. „*Nocte demum.. habuere.*” Animus contra Romanorum invictus est.

Initio, ante ipsum narrationis exordium, Romanarum copiarum reditus refertur.

Caecina vero cum exercitu suo prae ceteris nominatur, simulque quae ventura sunt pericula monitis ducis („*quamquam notis... pontes longos quam maturrime...*”) et descriptione regionis insidiis peropportunae („*angustus.. vastus.. quondam.. aggeratus; cetera limosa.. tenacia... incerta;... circum silvae... acclives*” adumbrantur.

### I.

1. Statim ab initio narrationis prodit Arminius, expeditus et velox, pugnae locorum magis gnarus; contra e longinquo ipse Caecina, consilii incertus, copias suas dispergens. Ingenium et condicionem utriusque delineans auctor expectationem excitat.

2. Verbis „*proelium inciperent*” auctor iam adumbrat quae proxime instant. Tum temporibus praesentibus, per asyndeton iuxtapositis („*lacessunt, circumgrediuntur, occursant.*”), qua celeritate singulari congregantur evidenter repraesentat. Pauca et incerta sunt quae contra agunt Romani. Notandum vero est, hoc loco non narrari ipsum pugnae decursum, sed — quod magis ad

animos erigendos aptum est, — ipsam regionem aequam aut iniquam describi, utrosque adversarios inter se conferri, alterum alteri opponi, hac ratione ut simul pugnae decursus et exitus dramatica quasi evidenter delineetur et adumbretur, ut expectatio crescat, ut quae iamiam futura sunt maiora veris putentur. Quo facto rerum conversio quae sequitur, distinctius iam et clarius conspi- ciendam se praebet. Postquam enim denuo legentium animos retinuit („nox .. inclinantes iam .. adversae”) et ipsa verborum collocatione erexit („inclinantes .. legiones adversae .. exemit”), primum verbis „dignum” et „iam” peripateiam suggerit, deinde verbo „exemit” pro certo affirmat.

3. Mentis et rerum condicionem apud Germanos et Romanos quiescente motu describit denuo et inter se opponit. Germani viribus freti, praepotentes superbunt, maiora moliuntur („indefessi .. ne tum quidem .. quiete ..”); Romani contra laboribus rebusque adversis conteruntur („duplicatus .. labor”). Ipse vero Caecina, dramatica evidenter consilia sua evolvens, prodit solus e multis; interritus ac peritus expectationem auget, aperiendo consilia legentium animos retinet („igitur .. secuturum”) rebusque futuris facit intentos et sibi devinctos.

Via qua pergunt, qui rem gerunt, distincte delineatur variorum temporum usu: tempora descriptiva primum, dein perfecta, tum praesentia historica scriptor adhibet. Post quae descriptionem, ut solet, ante rerum conversionem iniungit, cum ipsa commutatio perfecto historico enuntiatur. Descriptivis denique temporibus rerum atque animorum condicionem exhibens narrationi finem imponit. Quae enim sequuntur tempora perfecta et praesentia iam de rebus quae futura sunt agunt.

## II.

1. Legentium animos rebus agendis auctor immiscet et expectationem auget, dum depingens scenam, in qua utrorumque rerum condiciones confert, narrationem incohatur. Singula enim sive temporis sive regionis ad metum excitandum apta enumerantur („nox .. resultantis saltus”); imprimis singulorum sive Romanorum sive Germanorum mentis condicio vel expressis verbis vel implicite ex-

ponitur („festis epulis... laeto cantu.. truci sonore.. — invalidi ignes.. interruptae voces.. passim adiacerent vallo.. oberrarent.. insomnes..”); ipso verborum colore poetico augentur in maius („sonor... resulto... oberro.. pervagil.. dira quies”, postea „simul haec.. lapsantes”). Tum diro omne singulari modo animos excitat, timorem incutit, cum quae narrat evidenter repraesentat et ipsum Caecinam commotum inducit.

2. Dein subito qui rem gerunt viri prodeunt („deseruere”). Arminius nihil agit contra; quod expressis verbis scriptor nos docet, ut expectationem augeat et in ipsum Arminium, cum tandem prodit, magis animum intendamus. Quapropter etiam evidenter describit miserrimam in qua Romani versantur condicionem et animi debilitatem qua interim afficiuntur. Arminius contra, victoriae certus, proelium parat. Primo paucis acre proelii initium auctor narrat („scindit.. ingerit”), dein illico scenam fusius depingit, ut rerum conversio quae proxime instat, distincte prioribus opposita, magis animos percutiat. Magis magisque superant Germani; ordine verborum („sustentat... suffosso equo... dilapsus... circumveniebatur”), singulis verbis, singulis temporis momentis auget expectationem, uniuscuiusque actus delineans. De summis mox rebus decertant: ipse legatus, unus e multis prodiens proelio se immiscet, equus eius suffoditur, ipse iam cadit, iam circumvenitur, cum subito („ni...”) res convertuntur et milites primae legionis proelium restituunt. Romani iam satis validi hostem repellunt, insidiis evadunt. Breviter ac simpliciter perfecto tempore historico narrantur quae rebus gestis finem imponunt („iuvit.”).

3. Cum utrique quiescant, in fine narrationis, ut solet, scriptor scenam depingit („neque is miseriarum finis... (erat.. erant) lamentabantur.”): rerum condicionem et animum militum repraesentat, non tantum suis verbis, sed etiam dramatica arte et evidencia usus, gestibus et verbis ipsorum militum („struendum... petendum... dividentes... lamentabantur”). Simul quae instant miserrima adumbrat et aucta expectatione praesentia cum iis quae futura sunt, ut solet, connectit („funestas.. tenebras.. unum iam reliquum diem”).

Variorum temporum usu denuo dramaticae historiae decursum auctor distincte repraesentat, animos retinet. Initio duas scenas

depingit. Sequuntur perfecta tempora „*tenuit.. deseruere.. prorupit.*” Mox vivide iam praesenti tempore narrat quae velociter geruntur „*iubet.. scindit.. ingerit.*” Tum vero ante conversionem latam depingit scenam („*disicere.. proterere.. poterant.. circumveniebatur.*”), et expresso verbo („*ni*”) ipsam indicat peripeteiam. Post quam breviter tempore perfecto („*iuvit.. enisae.*”) rebus gestis finem imponit. Totius vero narrationis ambitum cum scenam describit, concludit.

### III.

1. Tertiam partem, ut saepius, auctor incohatur, cum sequentem narrationem praecedenti connectere neglegit. Subito descriptivo modo („*abruptis vinculis, vagus, territus.*”) narrat equum castris percurrentem concitasse vehementem conturbationem. Maiora mox ante rerum vel potius animorum commutationem summam evidenter depingit: singulari gradatione („*auctoritate, precibus, manu.*”) et affectuum excitatione („*projectus, miseratione.*”) repraesentat Caecinam, milites retinere conantem. Verbo denotat, quomodo rerum testes, milites scilicet, afficiantur („*miseratione.*”). Quae incohatur iam conversio, eodem vocabulo adumbrat, voce „*demum*” distinctius annuntiat, verbis „*clausit viam*” pro certo affirmat.

Mentis eorum condicio, quam scriptor imprimis curat, cum iam desperabant subito immutatur, ab imis ascendit et ascendendo simul rerum condicionem innovat. Breviter eos confirmant centuriones, fusius eos adhortatur Caecina, temporis momento peropportuno, statim scilicet post conversionem, primo verbis,<sup>1)</sup> deinde exemplo („*equos.. invaderent.*”).

Simul quae instant dramatice — Caecinam scilicet contionantem suaque consilia exponentem inducit, — contione adumbrat animosque legentium retinet dum futura cum praesentibus connectit.

In hac quoque narrationis parte — minus tamen perspicue quam in prioribus — variorum temporum usu viam, qua ascendit quaque

<sup>1)</sup> Oratio, breviter neque verbis oratoris relata, audientium animo apta esse videtur. Ut apud desperantes de „salute” primo loquitur. Delineat et simul probat quam proponit viam („*consilio temperanda.. manendum.. erumpendum.. perveniri..*”), breviter adumbrat quae post fugam futura sunt, fusius vero laeta vincentiumque praemia memorat, cum de adversis plane tacet.

descendit actio, auctor delineat. Paucis modo descriptivo praemisis, perfecto tempore historico quae fiunt narrat („*obturbavit*”). Tum ante rerum conversionem latius iam — quasi qui scenam delineare incohatur —, describit quae geruntur. Perfecto tempore conversionem denotat („*clausit.. docuere*”). Dein vero Caecinam magis magisque alacri et erecto animo quae instant expectantem et milites exhortantem inducit praesentibus temporibus („*monet, memorat, tradit*”), quo facilius sibi legentibusque paret transitum ad ultimam narrationis partem, qua summa iam Romanorum fortitudo appetet<sup>1)</sup>.

#### IV.

1. Initio huius partis auctor describit et dramatica arte simul adornat scenam in qua rerum et animorum condicionem exhibet, et rursus Germanos Romanis (p. III in fine) opponit. Tum vero temporibus praesentibus per asyndeton iuxtapositis, alacrem ac superbū — ante ipsam cladem — Germanorum animum denotantibus, quae gerunt hostes narrantur et cum evidētia repreäsentantur. Quibus opponuntur Romani: expectant tempus opportunum et expectando legentium animos magis retinent („*quasi ob metum defixo*”). Tum et ipsi ad impetum faciendum se accingunt — et deinde soli iam rem gerunt, ut etiam narrandi modo auctor adumbrat. Non vero ipsius impetus vim, sed animum et mentis inter se pugnantium condicionem exhibet, hac ratione ut simul affectum legentium excitet, ut fluctuant et compatiantur („*tubae cornuaque cecinere*” contra „*metu defixo*” et „*interruptae voces*”; „*clamore.. impetu*” .. „*exprobrantes*”).

Romanorum animus et ardor pugnandi subito palam erumpens, crescens, instantem victoriam iam adumbrat, iam pro certo adnuntiat. Itaque statim mira brevitate certaminis discrimin refertur („*hosti facile excidium*”), neque expressis verbis conversio indicatur. Tum vero fusius animorum immutatio eiusque causae exponuntur („*et paucos.. adversus incauti*”). Notandum autem est peripateiam — catastrophe proprie dicenda videtur huius partis rerum

<sup>1)</sup> Cf. quae de usu temporum adnotavimus in Germanicae seditionis narratione, p. III. 3.

conversio, — expressis verbis non exhiberi hac de causa, quia iam in parte tertia mentis Romanorum condicio, ad quam imprimis animum advertit auctor, e maxima debilitate sese erigens, iam firmior et alacrior evasit, superbia vero qua Germani ante ipsam cladem se efferebant retardatio et ironia tragica dicenda est.

Toti denique narrationi paucis verbis finem imponens condicionem corporum sed praesertim mentium militum nonnisi victoriam cogitantium („nocte demum.. habuere”) descriptivo modo denotat.

Variis utitur in hac quoque parte temporibus. Describit primo scenam; tum praesentia tempora historica per asyndeton adhibet („prensant.. circumfunduntur”). Scenam vero ante rerum conversionem non depingit, cum potius — ut vidimus — catastrophe sit dicenda neque animi legentium ullo modo sint retinendi. Post quae nonnulla descriptivo modo adicit et perfecto tempore rebus gestis finem imponit, totam vero narrationem, simul et hanc ultimam partem animi ac rerum condicionem describendo concludit („reversae.. fatigaret.. habuere”).

Ut paucis quae exposui colligam: unum ac perfectum narrationis argumentum in quattuor dividitur partes quae unum efficiunt corpus symmetrice compositum, cum et ipsae pari methodo a ratione constructae sint.

In prima parte via qua pergunt qui rem gerunt, mutua delineata actione, ad fastigium quoddam dicit — Germanorum scilicet praepotentiam, — cum subito, iam instante discrimine, paululum deflectit. Singulari etiam modo ad mentis agentium condiciones ubique scriptor attendit cum, ut solent apud nostrum, non vi sed animi viribus decercent.

Ut in prima parte, ita etiam in secunda rerum processus et imprimis mentium utrorumque condicio magis magisque ad fastigium evehuntur. Iam altius nunc ascendunt. Romanorum quidem condicio fit valde iniqua, Germanorum vero nimis opportuna, cum subito res Romanae aliquantulum, non vero ut in parte prima, restituuntur, animus contra militum desperationi est proximus. Itaque quae instant discrimina legentium animi avide expectant.

Quae tertia in parte Romani gerunt, et imprimis quae sentiunt statim ab initio ad infima et interitum inclinant. Non ab hoste exterriti, sed caeco timore correpti in fugam se proiciunt, inertes se hostibus tradituri, cum subito in ipso miseriae fastigio, misericordia et respectu erga ducem commoti, ad meliora se convertunt animumque paulatim resumunt. Mentis utique est conversio, summa simul et certa. Augetur iam animus, spes et fiducia sui, verbis et exemplo ducis instigatae, quamquam externa rerum condicio nequam immutata est.

Immo in quartae partis initio ipsi Germani, praevalidi ac superbi et victoriae certi, castra aggrediuntur et rerum decursum — victoriam scilicet Romanorum, iam adumbratam, — retardare videntur. Tum vero extemplo animus una cum viribus Romanorum distincte apparent eosque victuros esse iam liquet. Et Germani spe et fiducia sui statim plane destituuntur, Romani contra, alacres viribus et Victoria freti, ad summam securitatem et animi fortitudinem perveniunt.

D.

GERMANICI CAESARIS EXPEDITIO, ANNO XVI FACTA.

(ANN. II. 8-22.)

Quae de hac Germanici expeditione Tacitus narravit, iam saepius ab historiographis tractata sunt. Attamen de fide illius narrationis historica viri docti varia neque recta tulerunt iudicia cum, nisi fallor, ipsam nostri auctoris narrandi methodum et artem vel male intellexerint vel neglexerint<sup>1)</sup>. Quapropter iam

<sup>1)</sup> Inter priores nominandi mihi videntur: P. Hoefer, Die Feldzüge d. Germanicus i. J. 16. n. C. 1885. 4-5, qui imprimis propter narrationis colorem poeticum Tacitum e descriptione poetae cuiusdam testis ocularis sua hausisse autumat; R. Weidemann, Die Quellen der 6 ersten Bücher v. Tacitus' Annalen. Progr. Cleve, 1868-69-73. p. 11, et W. Horstmann, Ueber die Quellen des Tacitus i. d. 6 ersten Büchern der Annalen. 1877. p. 52-53, qui evidentiam rhetoricae descriptioni propriam ab evidentia e testimonio testium ocularium proveniente parum discernunt.

Magis iam componendi methodo et arti animum adverterunt: H. T. Karsten, De P. C. Taciti fide in sex prioribus annalium libris. 1868, p. 64-66. W. Liebenam, o. l. 795. sqq. L. Freytag, Tiberius u. Tacitus. 1870. 90-91. A. Spengel, o. l. 28-33, qui omnes, ipsis artis illecebris adducti, plura quae

magis quae de componendi methodo sentio paucis exponenda mihi videntur.

Narratio dividitur in partes quinque, quarum prima exhibet quae die primo apud Visurgim ab Arminio et Flavo aguntur. Colloquuntur, queruntur, ad manus iamiam veniunt, cum subito Romani Flavum secum abducentes se recipiunt. Maius vero instat certamen.

Secunda vero pars exponit quae apud Visurgim a Germanico praesertim cum Chariovalda et auxiliarium cohortibus contra Germanos aguntur. Periculum iam crescit, auxilia concidunt, perit etiam Chariovalda, cum tandem pars quaedam militum e hostium manibus eripitur.

Tertia deinde pars repreäsentat quae aguntur noctu in castris Romanorum a Caesare eiusque exercitu. Mentis eorum condicio praesertim exhibetur: pugnandi scilicet eorum animus, mutua actione auctus, ad fastigium pervenit.

In quarta vero parte enarrat auctor, quomodo primo ipsi Romani cum Germanis manus conserant. Praemissis contionibus, delineata etiam regione, descripta utriusque aciei ordine ipsius pugnae decursus repreäsentatur, quomodo scilicet, iam ab initio Germanis iniquus, paulatim in periculum eos inducat. Momento tantum temporis brevissimo laetior expectatur exitus, cum subito ac certo victoria in cladem convertitur.

Duces tamen ipsi, acie perrupta, e manibus Romanorum evadunt.

Pars denique quinta refert, quae altero proelio a Romanis Germanisque aguntur. Ipsa Romanorum victoria eiusque tropaeum perniciem eis allatura esse videtur. Maius iam instat periculum,

---

auctor exposuit parum verisimilia vel etiam vix probabilia esse demonstrare conati sunt. Denique posterioribus adnumerandi sunt H. Dellbrück, Geschichte der Kriegskunst II. 1902. 115-132 et G. Kessler, Die Tradition ü. Germanicus. 1905. 43-65, qui falsa esse ac ficta quae Tacitus narrat probasse se credunt. Cum vero narrationem nostram variis fontibus esse compositam sagaciter se detexisse contendant, artem litterariam, eidem narrationi construendae adhibitam, parum respexisse videntur. Item F. Knoke, Die Kriegszüge des Germanicus i. D. 1922. 346; qui, — ceteroquin plane ab iis discrepans, — fidem historicam totius narrationis singulariumque eius partium pertinacissime defendit. Quomodo de hisce omnibus, collata narrandi methodo, iudicandum sit data occasione exponam.

summum videtur esse discriminem. Sed antequam proelium incohatur, Germanicum iam praevalere eiusque victoriam instare auctor adumbrat. Simul tamen retardat catastrophen, atque primo narrando, deinde describendo ad quoddam fastigium res gestas perducit. Cui finis, clades scilicet Germanorum miserrima, statim adiungitur.

### DIVISIO.

(c. 8.) Praefatio, qua narratur quomodo Germanicus ad belli sedem se conferat.

#### I.

(c. 9. 24-30.) 1. „*Flumen... interfluebat.*” Describitur scena.

- a. „*Eius... venisset.*” Arminius prodit et Caesarem postulat.
- b. „*postquam... est.*” Romani respondent.
- a. „*ut liceret... oravit.*” Arminius colloquium cum Flavo rogat.
- b. „*Erat... salutatur.*” Flavus prodit.

(c. 9. 30-10. 19.) 2. 1) a. „*qui amotis... postulat.*” Arminius rursus ut amoveantur custodes flagitat.

- b. „*postquam... digressi.*” Qui statim redunt.
- a. „*unde... interrogat.*” Arminius Flavum interrogat.

- b. „*illo... referente.*” Cui Flavus respondit.
- a. „*quodnam... exquirit.*” Tum rursus Arminius eum adloquitur.
- b. „*Flavus... memorat.*” Cui denuo Flavus sua exponit.
- a. „*irridente... pretia.*” Arminius vero illi irridet.

2) „*Exin diversi ordiuntur,*”

- a. „*hic... haberi.*” Flavus ardente iam animo se defendit.
- b. „*ille... mallet.*” Quem vero Arminius magis magisque opprobriis incendit.

- 3) a. „*paulatim ... cohiebantur.*” In eo iam est ut manus conserant,  
b. „*ni... attinuisse*” cum Stertinus intervenit.  
a. „*plenum .. Flavum.*” Flavus vero pugnam poscit.  
b. „*cernebatur .. meruisse*” Necnon Arminius proelium annuntiat.

II.

(11. 20-25) 1. a. „*Postero .. stetit.*” Germani proelium incohare conantur.

- b. „*Caesar .. tramittit .. praefuere.*”  
a. „*Stertinus ..*” β. „*Aemilius ..*” γ. „*Chariovalda .. erupit.*” Nec Romani pugnam detrectant, et auxiliares praemittunt.

(11. 25-34.) 2. a. „*Eum .. traxere .. dein .. proturbant.*” Germani auxiliaribus cum Chariovalda insidias struunt, deturbant, profligant.

- b. a. „*Chariovalda .. labitur .. circa.*” Auxiliares et ipse praesertim Chariovalda se defendunt, inclinant, cadunt.  
β. „*ceteros .. exemere.*” At pauci effugiunt.

III.

(12. 1-7.) 1. a. „*Caesar .. oppugnationem.*” Maius iam certamen Caesari annuntiatur.

- b. „*habita ... attulere.*” Qui multitudinem ingentem parari cognoscit.

(12. 7-13. 30.) 2. 1) „*Igitur .. proferrent.*” Caesar quae agenda sint secum revolvit.

- 2) „*Nocte .. destinare.*” Quae decrevit exsequitur.

a. „*nocte .. fama sui.*” Ipse Caesar testis est eorum, quae a militibus geruntur.

- b. „*cum hic .. destinare.*”

a. „*cum hic .. mactandus.*” Pugnandi ardorem ostendunt.

- β. { a. „*inter quae... pollicetur.*” Hostis  
præmia offert.  
b. „*intendit.. destinare.*” Quibus in-  
censi ipsi proelium poscunt.

3) „*Tertia... sensere.*” Tum hostes, vallum ag-  
gressi, invictum Romanorum animum cognoscunt.

IV.

(14. 29-15. 19.) 1. a. „*Nox... sisterent.*” Germanicus auctus  
omine milites adhortatur.

b. „*orationem.. datum.*” Animi militum ac-  
cenduntur.

(15. 18-28) 2. a. „*Nec Arminius... servitium.*” Arminius  
contra Germanos instruit.

b. „*sic... poscentes.*” Instigati et ipsi proelium  
poscunt.

(16-17.) 3. 1) „*sic accensos.. truncos.*” Pugnae locus  
describitur.

a. „*campum.. incurrent.*” Quomodo hinc  
Germani copias disponant,

b. „*noster.. adsisteret.*” hinc Romani, ex-  
ponitur.

2) a. „*Visis.. latus.*” Germani proelium incohant.

b. „*Stertinius... adfuturus.*” Contra quos  
Caesar equitem dimittit.

a. „*Interea... advertere.*” Portentum quae  
futura sint adumbrat.

b. „*Exclamat.. numina.*” Quod omen ipse  
Caesar aucto animo accipit.

a. „*Simul.. impulit.*” Tum et Romani in-  
sistunt, aggrediuntur.

b. „*Mirum dictu”.* a. „... ruebant” .. β., „*Che-  
rusci... detrudebantur.*” Germanorum  
acies iam inclinat una cum ipsis Cheruscis.

a. „*inter quos.. Arminius.. rupturus..*” A-  
vero acerrime instans, fortunam mutaturus  
certamen in discrimen adducere conatur,

b. „*ni... obiecissent.*” cum subito auxilia Romanorum pugnam decernunt.

a. „*nisu... dedit.*” A. vero et I. effugiunt.  
„*ceteri... alios.*” Multitudo vero Germanorum occiditur.

(18.) 4. Quomodo post victoriam res se habeant et tropaeum exstruatur auctor exhibit.

V.

(c. 19.) 1. a. „*ea species... foret.*” Ipsa tropaei erectio Germanos ad novum summumque certamen impellit.

a. „*... turbant*” ... β. „*postremo... a tergo foret...*”

(20-21.) 2. b. „*Nihil... permisit.*” Caesar contra, victoriae certus, pugnam parat:

a. belli gerendi consilium constituit primo,  
β. deinde exsequitur.

a. „*quibus plana... irrupere.*” Primo res prospere agitur,

b. „*quis... conflictabantur.*” mox parum procedunt.

a. „*sensit... iubet.*” Novi sequuntur impetus,

b. „*missae... deiecti.*” et hostes deiciuntur,

a. „*primus Caesar... silvas.*” cum et ipse Caesar prae aliis se proelio inmiscet.

b. „*collato... victoria.*” Hostes vero denuo resistunt.

a. „*nec minor... proelium.*” Mentis ac corporis Germanorum iniqua condicio describitur.

b. „*contra... aperiret.*” Aequa contra Romanorum condicio exhibetur.

a. „*imprompto... deserebat.*” A. et I. subito non iam apparent.

b. „et Germanicus .. castris.” Germanicus contra victor prodit.

(c. 22.) 3. Quomodo post victoriam res se habeant auctor exponit et finem expeditioni esse impo- situm memorat.

Quae iam supra de precedentibus narrationibus hoc loco exposui, etiam de nostra historia valere puto. Mutua actione res gestas repraesentandas esse sua dispositione narrator nos docet. Hic illic vero parum distincte nexus causalem indicat, ut e. gr. III. 2. Nonnumquam, ut IV. 1. 2, antithetice iuxtaponuntur, quae utrobique aguntur vel etiam in futurum praeparantur. In quinta vero parte saepius ab una tantum dramatis persona res geruntur, cum nimirum post summam rerum conversionem Romani, victoriae certi, longe iam praevaleant.

---

Ad expectationem excitandam animosque devinciendos auctor quaedam praefatur de itinere Caesaris in Germaniam, belli sedem. Exercitum lente ac graviter procedentem describit et ipsa verborum dispositione depingit („iamque .. advenerat.. praemisso .. distributis.. ingressus.. precatus..”), cum simul rerum gestarum progressum respicit („iam.. cum”).

Prospere primo omnia procedunt. Tum vero ter periculum semper in maius auctum Romanis imminuisse („erratum.. hausti sunt.. defectio a tergo ..”) auctor nos docet ut quae in ipsa expeditione futura sunt adumbret animosque legentium recte disponat.

### I.

Subito, neglectis quibus transitum sibi pararet, paucis verbis actionis scenam scriptor delineat („flumen.. interfluebat”). Tum statim Arminius, qui primas partes apud hostes agit, prodit et simul ut ipsum Caesarem et fratrem Flavum, apud Romanos dramatis personas praecipuas, convenire sibi liceat petit. Et utriusque, qui prodit, tam Arminii quam Flavi ingenium atque etiam corporis

habitum, antequam apparent vel in prima saltem apparitione, expressis verbis vel implicite scriptor exponit („erat is.. Flavus .. Tiberio.”). Arminii ingenium superbum atque audax et supra iam denotavit, et implicite per totum hoc colloquium delineat („unde .. interrogat ..” „quodnam proelium ..” „irridente.. servitii prae-mia” .. „ille fas patriae.. mallet ..”).

Haec prima pars singulari arte dramatica velut dialogus tragediae proprius constructa est. Mutua semper actione, mira celeritate ad rerum fastigium tendunt qui primas partes agunt. Hinc nonnisi asyndetis auctor utitur, participiis actionem mutuam denotat („digressi.. referente.. irridente ..”). Mox vero dialogum, ardentibus iam animis, maiore ambitu verborum delineat et singula eius momenta indicat („exin.. paulatim.. ni ..”). Variis insuper temporibus utitur quibus qua via pergit actio lucide designet. Imperfecto tempore („interfluebat”) describit οκηγήν. Perfecto historico actio incohatur („adstitit.. oravit”), Arminii vero et Flavi congressum, in quem p[re]a ceteris auctor intendit, praesenti tempore historico indicat. Praeterea paulatim, crescente iam expectatione, ipsarum personarum vel verbis vel gestibus fusius ac maiori evidentia repraesentatis acrius iam certari suggerit. Tum vero rerum fastigium paucis verbis („prolapsi cohiebantur”) descriptive refertur et ipsa conversio expresso verbo („ni”) distincte notatur. Ut initium, ita etiam finis primae narrationis partis, unum ac quasi perfectum argumentum complectentis, tamquam scena („tableau”) describitur. Primo verba adiectiva et participia „plenum irae armaque pos-centem” Flavum adumbrant, deinde verba „cernebatur contra .. minitabundus .. denuntians” fusius et accuratius Arminium depingunt. Mentis tamen utriusque condicionem auctor imprimis respicit, quo simul et expectationem erigit et legentium animos metu afficiat. Uno tantum verbo explicite ea quae futura sunt — ut solet — adumbrat. („proeliumque denuntians”).

## II.

Paucis verbis rursus scriptor rerum condicionem et actionis initium exhibet („postero .. stetit”), quae tamen cum praecedentibus minime connectit, utpote ἐκπλήξει studens. Priorem exercitus partem lente procedentem compositione et ordine verborum depingit

(„Caesar.. Stertinus.. Aemilius.. diducerent.”), contra Chariovaldam erumpentem vividius denotat atque in eum prae ceteris iam animos legentium convertit. Et expectationem augens, („qua celerrimum.. erupit”) ingenium eius audax, a cauta Caesaris mente diversum, implicite adumbrat. Lente eum Cherusci in insidias inducunt (part. descript. „simulantes” perf. hist. „traxere”, tum praes. hist. „trudunt”). Tum omni celeritate, firmo et ardentí animo impetum faciunt in hostem. Praesentia igitur tempora historica asyndetice iuxtaponuntur, gradatione disposita („trudunt.. instant.. proturbant”). Mutuam vero actionem velociter decurrentem participiis tantum denotat („adversos.. cedentibus.. collectosque..”). Discriumen iam certaminis instare neminem latet. Ordinem verborum rerum recursui adaequat, Chariovaldam principem prae ceteris pugnae intentum ostendit ut expectationem augeat. Tum vero non iam praesenti tempore historico utitur, sed scena latius depicta actionem, ad summum certaminis fastigium festinantem, retardat, et ante ipsam conversionem rerum condicionem et agentium motus cum evidenter repraesentat („sustentata... hortatus... perfringerent”). Deinde magis iam legentes retinet („densissimos irrumpens”), conversionem adumbrat („congestis telis.. suffosso equo”), cum tandem verbo „labitur” scenam amovens explicite conversionem indicat verbisque „multi nobilium” magis iam animos misericordia afficere conatur.

Perfecto tempore historico finem rebus imponit, ut solet („exemere”), hac etiam narrationis parte unum ac perfectum argumentum complectens. Ast simul quae futura sunt paucis verbis, ut videtur, adumbrat: in fine narrationis milites romani praevalent.

Vario temporum usu, — ut iam ostendi, — quomodo mutua actio incohetur, crescat, ad summum perveniat ac rursus declinet et quiescat, auctor delineat.

### III.

Hac tertia parte auctor non actionem mutuam ad summum pervenientem repraesentare intendit, sed imprimis curat ut expectationem legentium excitet utque animos eorum συμπαθεῖς reddat, dum dramatis personas et ipsas expectantes et variis motibus affectas inducit et cum evidenter exhibet.

Arminius ut proelium committatur decernit; vires eius crescunt, nocturna oppugnatio iam instat. Simul temporis et rerum condicio, non simplici descriptione sed dramatica arte adumbrata et gradatione aucta („*indicio per fugae .. habita fides .. cernebantur.. suggressi.. attulere*”), magis iam animos retinet et timorem inculcat. Tum vero secundam ac praecipuam scenam („*auftritt*”) arte dramatica auctor delineat, ut mentis militum Romanorum condicionem exponat. Ipse Caesar in scenam prodit primus et solus, quaeque timet quaeque sibi proponit nobiscum communicat, ut personae tragicae artis facere solent. Mox ipsorum militum colloquiis ut testis occultus adsistit et dum animi sui motus ipse ostendit, legentium affectum movet, dum vero mutua actione praesertim inter Romanos et hostes ira in Germanos, ardor pugnandi, in Caesarem favor ad fastigium perducuntur, eorum animos retinet. Tum paucis verbis narrationi finem imponit: post ipsa verba „*adsultatum est*” sequuntur „*sine coniectu teli.*” Eo enim quod hac quam exposui ratione mentis condicionem delineat, eas quae geruntur quaeque instant res repraesentat, rebus vero ipsis animum vix intendere videtur.

Huius partis dispositio ac mutuae actionis nexus quamvis prioribus sint affines, parumper discrepant a methodo quam auctor adhibere solet: neque enim omnia quae aguntur ad unum quoddam et summum actionis fastigium semper tendunt, neque rerum conversio „*actionem*” concludit. Non tamen est cur miremur, cum imprimis antequam decertarent, eorum animos delineare auctor sibi proposuerit. Eundem semper prosequitur finem, expectationem excitat, affectum, admirationem, timorem evocat: per totam enim narrationis partem dum ardorem pugnandi, studium militum in Caesarem eiusque ingenium audax exhibet, quae futura sunt adumbrat et quadam gradatione et arte dramatica repraesentat. Neque per totum narrationis decursum varie et ornate auctor tempora disponit, ut alibi solet. Nota tamen in secunda parte „*cogita b a t’* „*ad i t’.. pollicetur.. intendit*”, in fine vero „*adsultatum es t’* „*sense re.*”

#### IV.

Initio affectum quidem excitat laeto omine, sed capitibus 14-16 res ab utraque parte gestas non, ut solet, mutua actione connectit, sed certa methodo iuxtaponit. Nec mirum, cum ad ac-

tionem praecipuam et discrimen totius certaminis viam sibi paret.

Quapropter quomodo ab utraque parte orationes habeantur amboque exercitus afficiantur primo breviter adnotat. Tum pugnae regionem, scenam actionis (*σκηνήν*) et utramque aciem describit<sup>1)</sup>. In ipsa pugna enarranda distinctius iam nexus causalem et actionem mutuam delineat. Primo expectationem et affectum augurio excitat; verbis „mirum dictū” rerum conversionem quandam instare adumbrat. Tum vero ante ipsam totius narrationis summam conversionem pugnaeque discrimen cum evidentia scenam („tableau”) depingit („diversa fuga... rueb a n t... detrudeb a n t u r... insignis.. manu.. voce.. vulnere.. sustentabat.. rupturus.”), in qua prae ceteris ipsum Arminium pugnantem inducit. Dum fortunam Germanis novam instare suggerit („incubuerat.. rupturus”) rerumque decursum retardat, expectationem auget, — cum subito ac statim ipsa Germanorum fortuna ac paene victoria in cladem convertitur et inopinata mutatio affectum excitat („ni obiecissent”).

Quae in ipsa clade eveniunt, accurate describit („plerisque.. postremo.. quidam.. alios”), duces tamen effugisse paucis memorat hoc consilio, ni fallor, ut denuo certatum iri simul suggerat. Ceteroquin postquam rerum condicionem, momentum victoriae, tropaei erectionem exponendo hanc narrationis partem conclusit, nullo modo neque expressis verbis neque implicite maiora instare vel potius res gestas plenius ac perfectius absolutum iri monet.

## V.

Ex improviso certamen rursus incohatur. Ipsi Romanorum Victoriae fastigium, tropaei erectio novum proelium novaque pericula excitat. Credideris auctorem ut poetam tragicum summam primae personae potentiam et conversionis rerum initium, intime nexus causaliter inter se coniuncta, uno eodemque temporis momento exhibere. Diligenter in causas inquirit, praesertim vero in animorum

<sup>1)</sup> Utraque oratio eodem modo disponitur: cap. 14. orator fusius tractat id quod „facile” dicitur („non campos.. iuris memoriae”), tum brevissime agit de utilitate („si taedio.. neque bellum ultra”), fortiter denique quamvis paucis verbis honestum inculcat („modo si.. victorem sisterent”). Item cap. 15 conditionator „facile” evolvit („hos esse.. subsidium”), pauca de utilitate loquitur („meminissent.. superbiae”), fortiter de honestate („aliud.. servitium”).

motus, hoc consilio ut etiam affectus legentium facilius excitet. Per asyndeton iuxtaponit praesentia tempora historica, quibus mutuam inter Germanos actionem gradatione continua delineet („volunt.. rapiunt.. incurvant.. turbant.. diligunt — plebes.. senes”), ut expectationem nostram, post cap. 17-18 nimis languentem, vehementer commoveat. Nihil vero aliud auctor intendit nisi ante ipsam catastrophen retardare rerum gestarum decursum, perniciem scilicet Germanorum. Quapropter eodem temporis momento, etiam ante pugnae initium, exitum eius et Romanorum victoriam adumbrat (c. 20: „nihil.. incognitum.. in perniciem ipsis vertebat; et cap. 21: „nec minor Germanis animus sed.. superabantur..”). Ut in cap. 19 propter vehementem animi commotionem Germani, ita in cap. 20 Romani, praevalidi iam et viribus suis freti, fere soli rem gerere videntur. Sed quamquam totius certaminis exitus dubius non est, auctor nihilominus animos retinere conatur, dum singula fluctuantis proelii momenta repraesentat („sensit dux imparem.. collato gradu.. utrisque.. salus ex victoria”) vel utriusque partis mentis ac rerum condicionem, scena late depicta, per antithesin iuxtaponit hac ratione ut ipsi legentes exitum animo praecipient („c. 20. superabantur cum ingens multitudo.. colligeret.. tenderet.. uteretur.. contra miles.. foderet.. aperiret — imprompto.. Arminio.. Inguiomerum.. deserebat.. et Germanicus..”). Auctor cum scenam describit ac depingit, actionis decursum non semper inhibet; ita et hoc loco eos qui rem gerunt ad finem festinanter contendere suggerit. Victoria Romanorum iam instat, mox manifeste apparet („imprompto iam Arminio.. quin et Inguiomerum.. et Germanicus.. detraxerat orabatque”). Nequaquam tamen ut solet huius pugnae peripeteiam explicite denotat, immo ex industria eam silentio praeterire videtur. Nec mirum, cum in hac parte proprie non certaminis discrimin, sed catastrophen exhibere intendit.

Paucis deinde verbis de huius victoriae momento locutus partem ultimam et simul totam narrationem concludit.<sup>1)</sup> Variorum

<sup>1)</sup> Non me fugit capita quoque quae praecedunt 5-7, quaeque sequuntur 23-24-25, in totius expeditionis summa contineri, eaque ad affectum excitandum esse valde idonea, cum in ipso gloriae fastigio collocati denuo Romani plagis fortunae miserrime perituri esse putentur, mox vero, periculo hoc maximo vix

temporum usu rerum gestarum decursum auctor parum accurate in quarta parte delineat: adhibet 1. perf. histor.; praes. hist.; perf. hist; 2. praes. cum perf. hist. usque ad „*impulit*” (c. 16. 17.), tum vero scenam latius depingit ante peripeteiam, cui pleraque perf. tempora historicā adiungit. Maiore quadam cura in quinta parte tempora disponuntur. Praecedit perfectum historicum, tum praesens ponitur una cum perf. tempore hist.; sequitur descriptio, cui praesentia cum perfectis temporibus historicis adnectuntur.

---

Narratio proeliorum, quae cum Germanis gesta sunt, — ut paucis verbis quae disserui complectar —, unum et perfectum argumentum continet. Cuius initium, decursum, fastigium, finem, causali nexu coniuncta et continuata, luculenter auctor delineat cum totum corpus in quinque partes distribuit.

In parte prima certamen, praemissis quae expectationem excitant, mutua actione continua — cum repraesentantur ac denotantur personae quae res verbis tantum, non armis agunt — ad fastigium quoddam pervenit. Praevalet Arminius, dum Flavus, ceteroquin socius tantum Romanorum, recedere cogitur. Utriusque ingenium, lucide denotatum et verba ac gestus pugnam acrem instare adumbrant.

In secunda vero parte decursus rerum, quae adhuc a Germanis tantum et Romanorum sociis, nondum ab ipsis Romanis geruntur, non sine mutua actione multaque cum evidentia descriptus, ad fastigium properat. Manus nunc conserunt, ad pugnae discrimen et rerum conversionem, magis iam Romanis adversam, perveniunt. Quamquam, ut adumbret instantem Romanorum victoriam vel saltem maiora certamina, depulsos esse Germanos ab ipsis Romanis auxilio vocatis memorat.

In parte tertia animos legentium ad ea, quae futura sunt discrimina, intentos facit. Inducit Germanicum ipsum eiusque exercitum, variis affectibus agitatos, ut et legentes iisdem animi motibus afficiat. Singulari vero arte et ipsos affectuum motus auctor ad

---

exempti, ad maiorem potentiam et famam perveniant (c. 25. „*nec umquam magis... paventem... invictos... Romanos praedicabant...*”). Attamen quae de proeliis cum Germanis gestis auctor narrat, et ipsa per se unum ac perfectum argumentum continere et ab eo in unum quoddam corpus esse redacta nequam mihi videtur negandum.

summum perducit, eo quod condicionem rebus romanis magis magisque aequam exhibet hoc consilio ut expectationem augeat et proeliorum quae instant exitum suggerat.

In quarta deinde parte rerum decursus vel potius animorum motus imprimis apud Romanos ea qua incesserat via pergit ascenditque. Utriusque enim mentis ac rerum condicio dramatica arte — orationibus scilicet — repraesentatur. Neque tamen nexus causaliter coniungitur, quia, dum discrimen paratur, mutua actio languescit. Tum vero magis magisque victoriam romanam quae instat scriptor designat; et simul quomodo Germanos vires iamiam deficiant adumbrat. Attamen brevi temporis momento instigante ipso Arminio ea, qua in parte prima et secunda incesserant via pergere intendunt et usque ad fastigium limenque victoriae perveniunt — cum subito miserrime corruunt. Quibus peractis auctorem mutuam actionem ad finem perduxisse credideris.

In quinta vero parte ipsa victorum superbia, tropaei erectio res Romanas in periculum ac discrimen adductura esse videtur. Postremo Germani qui rem gerunt recta ascendunt via — sed brevissimo tantum temporis momento —, ut quae iam instat miserrima clades praeter opinionem paululum retardetur. Illico enim ante rerum gestarum decursum clare scriptor designat quae futura est catastrophē. Sed quamquam exitium certum Germanos manet celeriterque appropinquat, variis tamen temporis momentis variaque fortuna hostis sortem ultimam ac perniciem invenit.

---

E.

CONIURATIO LIBONIS.

(ANN. II. 27-31.)

De coniuratione Libonis, de fide etiam eorum quae apud Tacitum inveniuntur varie disputaverunt viri docti historiographiae intenti.<sup>1)</sup> Qui tamen, dum de fide narrationis historica iudicium

<sup>1)</sup> Tacitum secuti sunt imprimis ii qui ante nostram aetatem historiam romanam conscripserunt, quorum iudicia invenies apud A. Lang, Beiträge z.

tulerunt, structuram et artem apud nostrum etiam hoc loco conspicuam ut aliis in narrationibus ita et hic parum respexerunt. E multis vero unum v. cl. H. T. Karsten hanc viam iam olim ingressum esse neque tamen usque ad finem percurrisse invenio. Quam ob rem haud abs re duxi in structuram eiusque artem, ab auctore de industria quaesitam, inquirere, quo facilius data occasione investigationem instituamus, num quid in singulis narrationis partibus, artis tantum causa, adiectum vel ablatum vel adiectum vel immunitum esse videatur.

Praefatio praemittitur, in qua auctor exponit quae ad accusandum Libonem parantur.

Pars prima complectitur cap. 28, in quo auctor narrat quomodo condicio Libonis, quamvis accusati, ad speciem magis magisque restituatur, cum subito quomodo res vere se habeant appetit. Maius iam instat periculum.

Pars secunda complectitur cap. 29-30, in quibus suggerit Liboni misericordiam moventi paulatim meliora esse speranda, cum subito res converti — lente primum ac dubitanter, mox dure et certo — exponit. Maximum instare periculum et vix ullam spem Liboni remanere auctor adumbrat.

Pars tertia complectitur cap. 31, in quo narrat Libonem ad summum pervenisse periculum, cum tandem ipse, aliquatenus retardatus, suis manibus catastrophen inducit.

---

Geschichte d. K. Tiberius. 1911. 27: „eine harmlose Spielerei eines unerfahrenen Jünglings“. Sunt autem qui sequuntur: Hoeck, Röm. Gesch. 1850. I. 3. 82. Ch. Merivale, Gesch. d. Römer. u. d. Kaiserthum III. 150-151. C. Peter, Geschichte Roms. 1881. III. 152-153. W. Ihne, Zur Ehrenrettung d. Kaisers Tiberius. 146. Quibus adnumerandus est qui nuper historiam imperatorum romanorum enarravit, A. v. Domaszewski, Gesch. d. Röm. Kaiser. 1909. I. 277-278. Tiberium vero recte iudicasse autumant inter priores: G. A. Sievers, Stud. z. Gesch. d. Röm. Kaiser. 1870. 35-36. L. Freytag, Tiberius u. Tacitus 1870. 113-115. E. Wiessner, Tiberius u. Tacitus. 1877. 21-22. H. Schiller, Geschichte der Röm. Kaiserzeit. 1883. I. 1. 291. W. Schott, Die Kriminaljustiz u. Tiberius. 1893. 24. ff. L. v. Ranke, Weltgesch. III. Anal. 291; imprimis vero H. T. Karsten, I. I. 37. ssq., et inter posteriores. I. I. Hartman, Analecta Tacitea. 1905. 33: „Tota narratio vix ullam habet speciem veri,” et A. Lang. I. I. 26-35.

DIVISIO.

(27.) Praefatio: Catus Libonem ad magicas artes impellit ut eum maiora sperantem facilius accuset.

I.

(28. 1-6.) 1. a. „*Ut satis... usus erat.*” C. ad Tiberium aditum postulat.

b. „*Caesar... commeare.*” Tiberius indicium quidem accipit, congressum vero abnuit.

(28. 6-11.) 2. a. „*Interim... scire malebat.*” Immo Tiberius Liboni favet, eum extollit,

b. „*donec... detulit.*” cum subito Iunius de eo indicium defert ad Trionem.

(28. 11-15.) 3. a. „*Celebre... poscit.*” Trio rem defert ad iudicem.

b. „*Et vocantur... atroci.*” Senatus ad diiudicandum vocatur.

II.

(29. 16-19.) 1. a. „*Libo... poscere.*” Libo contra auxilium implorat suorum.

b. „*abnuentibus... formidine.*” Qui omnes defensionem abnuunt.

2. a. „*Die senatus... tendens.*” Libo prodit, misericordiam movens.

b. „*immoto... excipitur.*” Tiberius vero, affectus dissimulans, eum excipit.

a. a) „*Accesserant... daretur.*” Accusatores inter se discrepant,

b) „*donec... arguebat.*”, immo vana affert Vibius, — cum subito occulta ac suspecta promit.

b. „*negante reo*”. Quae Libo quidem negat, servi vero affirmant.

a. „*adgnoscentes... quaereretur.*” Tiberius quaestionem haberi e servis iubet.

- b. „*ob quae.. mandavit.*” Libo vero ut res differatur suppliciter rogat.
- a. „*responsum.. rogaret.*” Cui Tiberius incerta respondit.

### III.

- (31. 9-17.) a. „*Cingebatur.... possent.*” Milites minantur Liboni.  
b. „*cum.. gladium.*” Qui exterritus, ut mortem sibi inferant a servis petit.  
a. „*atque.. lumen.*” Cum vero servi recusent,  
b. „*feralibus.. derexit,*” ipse Libo mortem sibi conciscit.  
a. b. „*ad gemitum.... abstitit.*” Ad ultimum eius gemitum servi accurrunt, milites vero abscedunt.  
(31. 17-20.) Finis. Cum actio ad finem perducitur, Tiberius neque se ipsum mortem eius intendisse asseverat.

Praemittit auctor quaedam quae, quamvis mutua actione non connexa, narrationis sunt initium et fundamentum structurae. Cum evidenter singula describit atque enumerat, expectationem auget, dum ingenia personarum ab exordio iam delineat („*senator.. intima amicitia — iuvenem improvidum.. facilem..*”), et res mirabiles tractat („*Chaldaeorum.. magorum.. somniorum*”) et quae futura sunt crimina coniurationis primo adumbratim memorat („*proavum.. amitam.. consobrinam.. imaginibus*”), mox vero distinctius enuntiat („*socius libidinum... quo pluribus indiciis illigaret.*”), seductorem etiam agentem repraesentat.

### I.

Praefatione tamquam ad rerum condicionem delineandam praemissa, ubi primum gravioris momenti factum, ad animos erigendos peridoneum, exsurgit, mutua actione rem geri auctor ostendit, idque praesenti tempore memorat („*postulat.. abnuit*”). Retardato tamen cursu agi ea quae fiunt innuit, cum ipsorum temporum praesentium

vim, variis rebus descriptivo modo adiectis, („*demonstrato.. aspernatus*“) attenuat, praesertim vero ipsum Caesarem dubium haerentem vel saltem caute procedentem inducit („*congressus abnuit*“). Quo simul animis legentium, de imminenti periculo sollicitis, meliora iam sperare suadet: Libonis enim condicionem specie saltem iamiam meliorem factam ostendit („*ornat.. adhibet*“).

Mox vero, breviter describens potius quam enarrans („*malebat*“) quae geruntur, rerum decursum retinet ante ipsam conversionem; quam explicite („*donec*“), ut solet, assignat. Quod exsurgit periculum accurate exhibit; personam mentemque accusatoris antequam prodit, explicite („*celebre...*“) et implicite repraesentat, praesentibus temporibus per asyndeton iuxtapositis accusatoris impetum et acre ingenium, viribus fretum, adumbrans. Singulari modo simul, cum delineat mentis illius condicionem eique Caesaris animum opponit, expectationem legentium auget.

Postremo vero paucis at gravibus verbis, — ut solet, — de rebus quae in parte secunda futura sunt, sollicitos nos reddit („*vocantur patres.. re magna et atroci.*“).

Variorum temporum usu rerum gestarum decursum moderari non neglegit. Initio praefationis perfectum tempus adhibet, tum praesenti tempore incohatam actionem indicat, imperfecto tempore („*malebat*“) rerum statum describit ante commutationem, cum decurrentem actionem perfecto tempore rursus exhibit („*detulit*“). Notanda vero sunt quae sequuntur pleraque praesentia tempora per asyndeton iuxtaposita; hic illic enim auctor in ipsa variarum partium fine iis utitur, ut qui res agunt vehementer esse commotos adumbret et maiora ac graviora iamiam instare nobis suggerat.

## II.

Initio huius partis scena praevia vivide depicta mutuam inter Libonem et cognatos actionem cum evidentia repraesentat (inf. praes. per asyndeton iuxtaponit), affectus excitat, misericordiam scilicet et metum, dum personas eisdem affectibus commotas inducit.

Tum vero ipsius iudicij expositionem incohavit; primo lata descriptione cum evidentia praecipuam inter agentes personam eiusque corporis ac mentis habitum delineat. Quo simul gradatim

ascendens misericordiam evocat imprimis, dum subito ipsum Caesarem immotum ac durum inducit reoque supplicanti opponit. Paucis verbis deinde („excipitur.. recitat.”) quomodo actio procedat exhibet; mox scenam depingere videtur („accesserant.. certabant..”). Instat enim inopinata quaedam mutatio, quae verbo „donec” annuntiatur; fortuna scilicet Liboni favere videtur, cum discrepent accusatores, cum vana immo miseranda proferant.

Eodem tamen tempore subito res denuo conversum iri primum auctor suggestit, — occulto modo ut expectationem excitet, („uno tamen..”), — mox distincte affirmat. Post quae celeriter narrationem ad finem perducit („negante reo.. adgnoscentes servos..”). Qui instat exitum iam adumbrat, dum animum Tiberii actu representat et explicite indicat („callidus ac novi iuris repertor..”). Sed cum huic narrationis parti finem imponit, auctor, ut animos legentium de rebus quae in ultima parte gerentur, sollicitos tenet, rerum decursum inhibet, retardat et varietate fortunae res converti posse non negat. Utrum precibus scilicet Libonis iudicium iam dilatum immutetur necne, minime liquet („responsum est.. rogaret”).

De variorum temporum usu haec sufficient: duabus scenis dramaticis auctor hanc narrationis partem composuit. Si respexeris modum narrandi, prior dicenda est descriptio sive scena depicta („tableau”). Sicut in praefatione solet, depingit rerum gestarum decursum depingendoque eum retinet et quasi statum ac conditionem describit. Tum autem ut actio incohatur, praesenti tempore utitur. Quae vero geruntur ante temporis momentum quo res verti videntur descriptivo modo rursus delineat, ut immutatio animos magis moveat.

Qua peracta ad finem iam properat perfecto tempore et participiis coniunctis celeriter enumerans tantum quae fiunt.

### III.

Auctor ut solet narrationem incohatur dum scenam depingit („cingebatur.. strepebant’’). In qua maxima cum evidentia oculos ponit quomodo gradatim periculum augeatur („cingebatur.. strepebant.. audiri.. aspici”’). Priori scenae alteram coniungit atque opponit hac ratione ut in ipsa scena descripta actio ad fasti-

gium pergit („cum interim Libo... etc.“). Catastrophen instare simul suggerit; expectationem quam maxime excitat, dum verba usque ad finem („derexit“) per asyndeton tantum iuxaponit, dum ordinem verborum quam maxime rerum decursui adaequat. Metum inculcat, cum singulis rebus gradatim dispositis periculum auget, cum Libonem ipsum metuentem inducit („vocare... prensare... inserere“). Misericordia animos afficit, ipsum Libonem misericordiam implorantem repraesentans. Tum vero, retardato paululum rerum decursu („dum trepidant.. refugiunt“), quae iam imminet catastrophen suggerit („feralibus iam . .“) et mox enuntiat („derexit“). Cum summa rerum conversio in narrationis parte secunda enuntiata sit, peripeteiam proprie dictam in hac parte locum non habere iam satis ex se liquet. Usque ad ipsam catastrophen mirum in modum animos retinet, exitum vero singulari brevitate, longis descriptionibus praeviis opposita, enuntiat („derexit.. accurrere.. liberti.. miles abstitit“). Paucis deinde prolatis quibus affectum tragœdiae, — misericordiam scilicet erga Libonem innocentem a Tiberio in mortem actum, — singulari modo adaugeat („accusatio tamen .. iuravitque Tiberius .. properavisset“), finem toti narrationi imponit.

De variorum temporum usu ad rerum decursum delineandum nonnulla iam protuli. Duplici quasi scena late depicta (imperf. temp. descript. et infinit. praes. hist.) complectitur auctor ea quae geruntur ante catastrophen. Tum demum cum exitum ipsum enuntiat, perfecto tempore („derexit“) scenam descriptam amovet paucisque verbis perfecto tempore historico ad finem res perducit.

Paucis delineabo quam exposui structuram. Unum et perfectum argumentum totius narrationis in tres dividitur partes, quae et ipsae in se unam quandam materiam, accusationem, iudicium, poenam, continent.

In utraque quae praecedit parte res gestae ad fastigium quoddam properant, unde rerum decursus invertitur. Liboni scilicet fortuna, crescente etiam atque instantे iam periculo, identidem favere videtur eumque a delicto iamiam absolutum iri speramus, cum subito vera rerum condicio appareat et peiora iam imminent. Maius iam ac summum esse secundae partis discrimen certamque fortunae conversionem ibidem instare neminem latere puto. Tertia vero narrationis

pars una cum brevi rerum retardatione catastrophē exhibet simulque et ipsa mira arte animos legentium usque ad finem retinet.

Itaque per totam etiam narrationis summam via, qua pergunt qui rem gerunt, ad fastigium quoddam identidem tendit, cum subito rerum condicio convertitur et miserrime perit ille quem liberatum iri iamiam sperabamus.

#### HUIUS CAPITIS CONCLUSIO.

Collatis atque perpensis quae capite primo de historiographia peripatetica digessi quaeque nunc de Taciti modo narrandi et construendi methodo eruisse mihi visus sum, haec conscribendi genera mutua affinitate esse coniuncta satis iam patere puto.

Attamen — quamquam ne nimis multa iam collegerim constrinxerimque vereor, — uno tenore exponere quae de Tacito protuli, ut facilius conferantur cum iis quae apud peripateticos rerum scriptores<sup>1)</sup> et apud tragicos poetas inveniuntur, haud abs re putandum esse censeo.

Ex industria auctorem ut narrationes suas apte componeret unum et perfectum argumentum assumpsisse vel studuisse ut materiam quam tractaturus erat unam redderet, ex eis quae supra exposita sunt satis effici posse mihi videtur. Unam dico narrationem, quae initium habeat et medium et finem quaeque continuo decursu, partibus quae ad rem non pertinent praetermissis vel diligenter ab ipso narrationis corpore seclusis, ad finem suum perveniat.<sup>2)</sup>

Non tantum animum intendit ad narrationem sola materiae et argumenti unitate absolutam sed etiam praecipua totius structuae

<sup>1)</sup> Cf. supra p. 16-18.

<sup>2)</sup> Cf. pag. 13. n. 1. 2. 3 pag. 17. n. 2. — G. Freytag, Die Technik des Dramas. 27. 42-43. praes. 28: „der Ausgang (der Handlung) muss die vollständige Beendigung des Kampfes .. darstellen.“ 27. „unentbehrliche Voraussetzungen müssen dem Hörer in den Eröffnungsscenen soweit dargestellt werden, dass er die Grundlagen des Stücks übersieht..“ 104. „Keine Stoff darf weitere Voraussetzungen enthalten als solche, welche sich in wenigen kurzen Strichen wiedergeben lassen.“

delineamenta hoc modo insignivit, singulas quoque res gestas hac ratione disposuit, personarum mentis condiciones hoc consilio exhibuit ut omnia quasi in unum ac perfectum corpus organis praeditum, symmetria constructum coalescerent.

Symmetriam discernes, cum naturam et singularum partium compositionem inspicias. Organis esse instructum narrationis corpus atque vita ipsa esse praeditum apparebit, cum ad iuncturas actionum vel potius ipsas res gestas mutua actione enascentes, ad ipsas etiam actiones e mentis condicione vel ratiociniis provenientes attenderis.<sup>1)</sup>

Quae maioris sine dubio sunt momenti. Res gestas sane et actionem auctor curat; sunt enim totius structurae quasi fundamentum vel nervi, quibus sustentata narratio ascendit, fluctuat, descendit. Diligentius vero animorum conditionem exponit ut unde res gestae et ipsae agendi rationes nascantur, legentes perspiciant. Illi enim animorum motus plerumque eos qui rem gerunt impellunt, ad summum perducunt, ut convertantur et quiescant efficiunt.

Prae ceteris vero respicit eos animorum affectus qui e rebus gestis tamquam effectus e causa proveniunt.<sup>2)</sup>

Quos affectus auctor hoc ipso consilio respicit ut ad finem suum ultimum facilius perveniat. Non enim narrare tantum vel repraesentare quae gesta sunt intendit, sed animos legentium movere, affectus eorum excitare dum evidenter describit quomodo ii qui rem gerunt afficiantur. Studet legentes compellere ut concurrere in agendo sibi videantur, ut variatione affectuum actionem inaequaliter fluctuantem sequi se ipsos putent, quasi qui tragœdiae adsistunt.<sup>3)</sup>

---

Ad hunc finem attingendum iuvat praesertim ipsius argumentum in natura, quod ex se animum movet et affectum excitat,

<sup>1)</sup> Cf. pag. 17. n. 3. — G. Freytag, o. c. 18. 36. 39. — G. Günther, Grundzüge der trag. Kunst. 1885. p. 391. 405. 406.

<sup>2)</sup> G. Freytag, o. c. 18: „... nicht die Darstellung einer Begebenheit an sich sondern ihre Einwirkung auf die Menschenseele ist Aufgabe der dramatischen Kunst.“ — G. Günther, o. c. 391. 403-406.

<sup>3)</sup> Cf. supra pag. 14; Arist. a. p. 1449. b. cap. VI. „... δι' ἔλεον καὶ φόβον...“ — G. Günther, o. c. 242. sqq. — G. Freytag, o. c. 56. sqq.

ut res gravioris ac maioris momenti quae per longiorem temporis decursum ad finem perveniat.<sup>1)</sup> Imprimis igitur assumuntur seditiones, proelia, coniurationes, et inseruntur portenta et praesagia, quae pericula et mala futura adumbrant. Eadem fini inserviunt quae indicantur voce „παράδοξα”: res scilicet quae praeter spem et opinionem accidunt quaeque uno atque eodem tempore inopinato occurunt vel subito convertuntur. Antithetice etiam iuxtaponuntur res gestae vel rerum condiciones. Ea deinde, quae narratione continua exhibentur identidem gradatione quadam in maius augentur sive dictione sive materiae dispositione. Praesertim vero curam habet scriptor eorum quae ad excitandum metum vel misericordiam sunt idonea.

Iuvat etiam ad finem nostrum varius actionum decursus. Etenim — ut latius evolvam quae incohavi — via, qua pergit qui rem gerunt, ascendit, quamvis saepius infracta atque declinans, usque ad summum rerum fastigium, cum subito, nequam vero sine causa distinctius enuntiata, inclinat, descendit, paululum deinde quasi denuo ascensura pergit per aequum, mox vero et quidem velociter in imum deducit.<sup>2)</sup>

Ut accurate cognoscatur quam sit dramatica haec rerum structura, iuvant prae ceteris ea quae de singularum partium constructione exposui. Quapropter hoc loco colligenda esse putavi artificia quae identidem adhibentur et methodo nostrae propria dicenda sunt.

Ea quae fiunt, ab una persona praecipua proficiuntur, ad unam redeunt, sive persona simplex est sive multitudo in unum congregata, hoc consilio ut existat argumentum unum simul et perfectum, intrinsecus coalitum, cum ex ipso personae ingenio, ab initio narrationis exhibito, cuncta proveniant.

Verumtamen contra eam quae primas agit partes, persona quae secundas acturus est in scenam prodit, ut mutua actione quae fiunt gerantur. Neque haec persona semper est simplex et individua. Multitudo enim nonnumquam prodit, saepius vero variae

<sup>1)</sup> Cf. supra pag. 12. n. 1 et 2. — G. Freytag. o. c. 56. sqq.

<sup>2)</sup> Cf. supra pag. 18. n. 1. — G. Freytag. o. c. 92-95.

personae quae uni velut principi se adiungunt et alteri qui contra agit, se omnes opponunt.

Utramque deinde viam, qua pergunt qui res gerunt, mutua exhibita actione scriptor delineat. Semper enim fere quae aguntur dramatice repraesentat, non simpliciter referendo exponit. Immo in ipsis rerum condicionis descriptionibus, in scenis, quas dixi, persaepe actionem mutuam vel etiam simplicem vivide repraesentans res ad fastigium perducit. Necnon orationibus opportuno temporis momento illatis ad agendum instigat eos qui rem gerunt aut ut ab opere desistant efficit.

Ipsam etiam animorum condicionem exhibendo plerumque implicite significat quomodo res gerantur.

Uti iam monui, unaquaeque narratio nonnullis partibus inter se plane distinctis et simul in se perfectis composita est.<sup>1)</sup>

Quarum numerus non quidem semper sibi constat, sed tria saltem eaque singula in omni narratione exhibitentur: rerum initium, decursus cum fastigio, finis. Singulae deinde partes in se perfectae structura sua toti narrationis corpori sunt valde affines.<sup>2)</sup>

Illas tantum partes, quae summam rerum conversionem pra-

<sup>1)</sup> Cf. p. 17-18. et G. Freytag, o. c. 171: „Jeder Akt erhielt den Karakter einer geschlossenen Handlung. Für jeden wurde ein kleiner stimmunggebender Vorschlag, eine kurze Einleitung, ein stärker hervortretender Höhepunkt, ein wirksamer Abschluss wünschenswert.“ id. 173: „Nebenbei sei bemerkt dass die fünf Teile der Handlung bei kleineren Stoffen und kürzere Behandlung sehr wohl ein Zusammenziehen in eine geringere Zahl von Akten vertragen. Immer müssen die drei Momente: Beginn des Kampfes, Höhepunkt und Katastrophe sich stark von einander abheben, die Handlung lässt sich dann in drei Akten zusammenfassen. Auch bei der kleinsten Handlung, welche in ein Akt verlaufen kann, sind innerhalb desselben die fünf oder drei Teile erkennbar.“

Id. 188: „Zum letzten Abschnitt wurde gesagt dass jeder Akt ein gegliederter Bau sein muss, welcher sein Teil der Handlung in zweckmässiger und wirksamer Anordnung zusammenfasst. Auch in ihm muss die Teilnahme des Zuschauers mit sicherer Hand geführt und gesteigert werden, auch er muss sein Höhepunkt haben, eine grosse kräftig ausgeführte Scene.“

<sup>2)</sup> E quibus iam liquet, nisi fallor, Gruterum in sua Annalium editione quae a. 1607. in lucem prodiit, in nostris narrationibus generatim recte assignavisse varia librorum capita. Cf. etiam R. Friderici, De librorum antiquorum capitum divisione atque summarisi. 1911. 22. 24.

cedunt vel eam continent, eadem quam dixi methodo constructas esse satis intellegitur.

Reiciuntur deinde omnia quae cum tota rerum compositione male cohaerent. Tempus etiam et locus, quo res geruntur, saepissime, expressis verbis vel implicite, distincte assignantur hac prae-  
sertim ratione ut una et perfecta cuiusque partis structura exhibeat.

Ipse actionis processus in unaquaque narrationis parte quibusdam rerum gestarum corporibus, scenis scilicet dramatico poemati propriis, constat.<sup>1)</sup> Numerus earum non semper est idem, sed plerumque duae inveniuntur. Ipsae rursus scena „dramaticae” in duas saepe dividuntur partes ut, hisce inter se oppositis inque altera parte rerum decursu subito accelerato, expectationem legentium auctor excitet eorumque animos retineat. Haec igitur quam exposui partium structura rerum gestarum summam in se unam et perfectam, plerumque duobus actionis momentis — brevibus utique initii et finis verbis praetermissis — coalitam, complectitur.

In unaquaque parte via, qua pergunt qui rem gerunt, primo leniter ascendit, mox altius assurgit, cum mutua actione dramatis personae inter se configunt.<sup>2)</sup>

<sup>1)</sup> Cf. pag.: 17-18. — insuper G. Freytag, o. c. 185; 186; 187-88; 188: „Wie der Akt muss auch jede einzelne Scene.. eine Anordnung haben, welche geeignet ist ihren Inhalt in höchster Wirkung auszudrücken. Ein spannendes Moment muss die ausgeführte Scene einleiten, die Seelenvorgänge in ihr müssen mit einiger Reichlichkeit in wirksamer Steigerung dargestellt werden.. von ihren Höhenpunkt aus, auf welchen sie reichlich ausgeführt schwebt, muss schnell und kurz der Schluss folgen; denn ist einmal ihr Zweck erreicht, die Spannung gelöst, dann wird jedes unnütze Wort zu viel. Und wie sie mit einer gewissen Aufregung der Erwartung einzuleiten ist, so braucht auch ihr Ende eine kleine Erhebung.. Der tiefe Einschnitt am Ende der Scene und die Notwendigkeit die Spannung auf das Folgende herüber zutragen machen sie (die „Abgänge“) vielmehr zu einem berechtigtem Kunstmittel zu meist am Schluss der Akten.“ Quae de partibus earumque scenis dramaticis exscripsi, imprimis apud Tacitum de partibus ipsis earumque structura valere supra demonstravi. Scenae enim propter nimiam suam brevitatem saepius apud nostrum perfecta ac propria structura non gaudent.

<sup>2)</sup> Cf. p. 17-18. G. Freytag, o. c. 28. 101. 107. 109; 71: „Ferner aber hat der Dichter den Pflicht seine Wirkungen von Anfang bis zum Ende zu steigern..“ 113: „Für die Scenen der Steigerung gilt der Satz dass sie eine fortlaufende Verstärkerung der Teilnahme hervorzubringen haben; sie müssen deshalb nicht nur durch ihren Inhalt den Fortschritt darstellen, auch in Form und Behandlung eine Vergrößerung zeigen..“

Tum ad fastigium pervenit, in quo praevalet qui in priore totius narrationis parte usque ad summam rerum conversionem prae ceteris rem gerit. Ubi identidem subito res convertuntur. Qui praevaluit, iam mutua actione coactus paululum recedit et ad finem, quem sibi proposuerat, non pervenit; ab agendo ad tempus desistit, ab aliis qui res gerunt vel etiam naturae viribus compulsus.

Quae tamen conversio numquam plene atque absolute ad finem suum perducitur, sive identidem in variis narrationis partibus magis sive minus perfecta exsistit. Causae vero, quae totius certaminis decursum regunt, animorum scilicet condiciones, in fine singularum partium validae et infractis nequaquam viribus remanent. Immo vero identidem, motu quiescente, ipsae adiunctae maiorem excitant expectationem, dum rerum ac mentium condicio luculenter exhibetur et nexus causalis inter animorum habitus et res quae instant sugeritur vel distincte enuntiatur.

Illae quas dixi rerum conversiones singulari modo indicantur et varie notantur eo quod rerum condicio ante ipsam conversionem magna cum evidentia describitur et scena late depingitur, ut immutatio iis quae praecedunt opposita altius animis nostris inhaereat. Tum vero et ipsum conversionis momentum expressis verbis significatur.<sup>1)</sup>

Cum tandem ad summum rerum fastigium auctor nos perduxit, neque remisse neque imperfecte repraesentat quomodo res convertantur, quamquam plerumque, dum novam ac prosperam conversionem instare suggerit, momento temporis rerum decursum retardare videtur.<sup>2)</sup>

Ultimam vero narrationis partem, in qua perfecta rerum conversio sive catastrophe exhibetur, neque eadem

<sup>1)</sup> Cf. pag. 17-18. — G. Freytag, o. c. 113: „Der Höhepunkt des Dramas ist die Stelle des Stückes in welcher das Ergebnis des aufregenden Kampfes stark und entschieden heraustritt, er ist fast immer die Spitze einer gross ausgeführten Scene, an welche sich die kleineren Verbindungsscenen von der Steigerung und der fallenden Handlung heranlegen. Allen Glanz der Poesie, alle dramatische Kraft wird der Dichter anzuwenden haben um diesen Mittelpunkt seines Kunstwerkes lebendig herauszuheben.“ id. 88; insuper G. Günther, o. c. 408-409.

<sup>2)</sup> Cf. p. 17-18; — G. Freytag, o. c. 119-120.

structura esse compositam neque eisdem artificiis esse ornatam satis per se intellegitur.<sup>1)</sup>

Initio huius partis vel — ut iam monui — in fine praecedentis nonnumquam catastrophen quae iam instat, remotum et impeditum iri suggerit auctor ut, rerum decursu breviter retardato, animos legentium retineat. Mox vero celeriter ac certo narratio ad finem properat.

Denique paucis verbis auctor enuntiat catastrophen, in qua dramatis persona, in priore narrationis parte usque ad summam conversionem praevalida, iam vero ab iis qui contra egerunt devicta, plane ab agendo desistit neque quicquam ultra expectatur.

Ut singula quaedam nostrae methodi articia eaque maioris momenti enumerem: unitati studet auctor eo quod ad duas tantum personas vel personarum turbas quaecumque aguntur refert, sicut cum tumultuantem turbam describens unam quandam personam pro ceteris agentem inducit<sup>2)</sup> vel animorum motum quo singuli aguntur omnes regentem cum evidentia repreäsentat.

Varietati rursus studet, cum multitudinem inducens quod singuli agunt depingit et singulorum animos et habitus delineat.

Breve ac festivum verbum — lumen dico — præsertim in fine orationis identidem ea quae eo loco et tempore dramatis personae agunt vel cogitant, concise refert, simulque quae

<sup>1)</sup> Cf. p. 17-19; G. Freytag, o. c. 28; 120; 117: „Und doch fordert die Umkehr eine starke Hebung und Verstärkung der scenischen Effecte... Deshalb... nur grosse Züge, nur grosse Wirkungen... Für das Steigern dieser Wirkungen wird vor dem Eintritt der Katastrophe eine ausgeführte Scene nützlich, welche entweder wiederstrebbende Gewalten im Streit mit den Helden in stärkster Bewegung zeigt oder ein tiefen Einblick ins innere Leben des Helden gestattet“ id. 121.: „Für den Bau der Katastrophe gelten folgende Regeln: Erstens meide man jedes unnütze Wort, und lasse kein Wort, das die Idee des Stükkes aus dem Wesen der Charaktere zwanglos erklären kann, ungesagt. Ferner versage man sich breite scenische Ausführungen, man halte das dramatisch Darzustellende kurz, einfach, schmucklos, gebe in Wort und Handlung das Beste und Gedrungenste...“

<sup>2)</sup> Cf. p. 17-19: G. Freytag, o. c. 201. 203: „... je grösser die Zahl der Teilnehmer an einer Scene desto kräftiger gegliedert muss der Bau derselben sein. Die Hauptteile müssen dann um so mächtiger hervortreten, bald die einzeln führenden Stimmen sich von der Mehrzahl abheben, bald das Zusammenwirken der Gesamtheit im Vordergrund stehen.“

universi homines sentiunt pronuntiat. Unde qui audiunt vel legunt et ipsi ad res gestas tamquam suas animos intendunt.

Vario temporum usu via designatur qua pergit actio, quaque ascendit, convertitur, declinat, dum tandem quiescit.

Initio plerumque scriptor infinitivo modo historico vel imperfecto tempore descriptivo usus depingit scenam („tableau”). Tum leniter ascendens, dum perfectum historicum tempus adhibet, simpliciter narrat. Post quae, velociorem iam rerum progressum sequens praesentia tempora historica, vel per asyndeton iuxtaposita, adhibet. In ipso fastigio rerum decursus quasi inhibetur: descriptivo modo, scena plerumque latius depicta, dum verbum vel omittit vel verborum tempora aut modos descriptivos adhibet, auctor vivide ante oculos ponit rerum statum et agentium mentis condicionem. Tum vero rerum conversio, perfecto tempore historico enuntiata, subito „scenam” dirimit. Post quam breviter et celeriter plerumque perfecto tempore scriptor ea quae sequuntur refert. Rerum denique statum, motu quiescente, scenam depingendo vel saltem temporibus vel modis descriptivis adhibitis plerumque delineat.

Notandum vero est temporum schema quod proposui raro quidem plenum ac perfectum adhiberi, semper tamen elementa quibus constat in narrationis structura distinete et nitide perspicua esse.

Quae de temporum usu exposui, pertinent etiam, ut reor, ad distinctum ordinem verborum, qui praesertim cum rerum fastigium scriptor delineat, rerum gestarum ordini plane adaequatur. Necnon poetico verborum colore auctor saepius utitur ut animos usque ad rerum fastigium retineat.

Orationes deinde, sive verbis ipsius oratoris sive scriptoris relatae, narrationi inseruntur in gravioribus scilicet temporis momentis, cum mutua quidem actione iam res geruntur sed quae discrimen adducant desiderantur; vel cum qui rem gerunt discrimen aggressi, adhortatione indigent ut ad opus perficiendum, ad conversionem perfectam inducendam impellantur.

Simul tamen scriptor orationibus et animum eorum qui loquuntur et causas, quae eos ad agendum impellunt, implicite delineat, necnon eorum qui audiunt mentis condicionem repraesentat. Nullas exhibet orationes quae dicuntur perpetuae, sed eas dramaticae rerum structurae accommodat ut et ipsae vim dramaticam narrationis ad-

augeant. Quapropter concionatorem animi motibus actum potius quam ratiocinantem fingit sive cum orationis materiam disponit sive cum formam elaborat.

Quam tamen structuram non sine magna deliberatione — dum artem dissimulat — componere solet.

Rerum vero gestarum descriptiones quas scenas dixi, variis locis varioque modo mira plerumque arte adhibet ut rerum gestarum statum vel etiam decursum delineet.<sup>1)</sup>

Saepius animorum agentium affectus et condicionem descriptiones illae ita adumbrant ut qui instant actus suggestant, eoque ipso legentium affectum, structura rerum gestarum iam excitatum, adaugeant, expectationem scilicet vel metum vel misericordiam metuentium.

Tum vero cum, ut fit, personas commotas scenae illae evidenti descriptione ostendunt, ipsos legentes velut testes commovere intendunt faciliusque fortasse hac ratione auctor consilium suum assequitur quam si perpetuum rerum decursum cum evidentia enarraret. Quae enim depinguntur, remanent; ideoque facilius cum rerum tumultus quiescit statusque delineatur, mentibus inhaerent; vel etiam cum dramatica actio delineatur, luculentius tamquam unum et perfectum actionum corpus oculis sese offerunt.

Quae tamen „scenae” in locis quasi sibi propriis ipsi narrationis structurae inseruntur.

Identidem enim adhibentur ubi in mentis agentium condicionem prae ceteris animum intendimus, deinde cum silentio ac sensim id obscure serpit, quod mox rebus gerendis sese inseret. Depingitur etiam scena, cum dramatis personae inter se conflictantes quam maxime in unum locum congregantur ut clare atque evidenter iam res ostendantur. Eodem tum describendi modo auctor uitur ut res gestae, antequam alia iam via decurrere incohant, tamquam ex umbra et recessu procedentes animum nostrum allicant, oppositisque contrariis ipsa rerum conversio distinctius ac clarius oculis nostris conspiciatur. Neque a „scena” denique abhorret eo in loco quo, quiescente motu, non iam res quae geruntur narrandae sunt,

<sup>1)</sup> Cf. etiam G. Freytag, o. c. 113 et E. Courbaud, o. c. 121, sqq.

sed rerum status est describendus, imprimis cum singulis narrationis partibus finis imponitur.

Perpensis eis quae collegi atque exposui satis probabilis mihi videtur, ut dixi, opinio eorum, qui sentiunt methodum narrandi et artem construendi Tacito propriam hellenistico-peripatetico historiam conscribendi modo simillimam esse.

Sit verum — ut alii monent — artem rhetoricam in narrationibus orationibus insertis obviam ut in hellenisticam historiographiam, ita etiam in methodum ipsius Taciti, utpote oratoris celeberrimi, multum valuisse. Sint vera etiam ea quae de arte dramatica a poetis Tacito aequalibus exculta deque eius influxu in artem litterariam viri docti protulerunt<sup>1)</sup>: ad nostri tamen artem explicandam mihi sufficere non videntur. Immo vero collatis eis quae supra de hellenisticae historiographiae arte congressi, satis constare existimo similitudinem illam e vera cognatione provenisse atque adeo ab utrisque idem genus litterarium esse excultum.

Verumtamen neminem latere puto, ea quae de duorum tantum librorum narrationibus eruere conatus sum neque ab omni parte confirmata neque perfecta esse. Deinde probe tenendum est id quod ad nullam non investigationem pertinet, parum videri probabile Tacitum suam narrandi et componendi methodum ab initio Historiarum usque ad finem Annalium nequam mutasse.

Collatis autem plerisque huius generis narrationibus, de quibus in hac disputatione non agendum esse censui,<sup>2)</sup> haec mihi utique statui posse videntur.

In Historiarum narrationibus construendis non ita diligenter auctor totius corporis unitati perfectae studuisse videtur, quamquam singulas narrationum partes ad affectum excitandum idoneas multa arte dramatica velut scenas tragœdiae proprias composuit. Initio vero Annalium structuram adhibet magis perspicuam ac simplicem,

<sup>1)</sup> Cf. G. Nordmeyer, *De Octaviae fab. praetext.* p. 31. 32. E. Norden, *Einleitung I<sup>8</sup>*. 4. p. 80.

<sup>2)</sup> Sunt fere quae sequuntur: Hist. I. 12-49. I. 80-85. II. 27-29. II. 74-78. III. 10. III. 12-34. IV. 46. Ann. III. 1-18. III. 40-46. IV. 46-51. IV. 68-70. XI. 26-38. XIII. 18-21. XIV. 1-8. XIV. 60-64. XV. 50-59. XVI. 21-35.

eadem artifacia ceteroquin satis nota, identidem insumit, ad finem tragœdiae una cum eius componendi methodo p̄ae ceteris animū intendit, dum omnes narrationis partes, arte dramatica constructas, in unum corpus colligit. In posteriorum vero librorum narrationibus componendis raro tam diligenter schematis tragicī p̄aecepta observat, quamquam semper symmetriae et perspicuitati studet. Artifacia parce adhibet, imprimis ea, quae ad affectum excitandum inserunt. Quibus tamen in locis ipsa rerum compositione, magna dramatica arte praedita, eo violentius affectus legentium excitat, quo minus eorum excitatio quaesita atque intenta esse videtur.

Sed haec hactenus. Incōhatam tantummodo esse investigationem quam suscep̄oram, non negabo. Immo neque umquam ut eam ad finem perducam mihi continget. Attamen haud dubito quin illi, qui investigata accuratius retractaverit et, materiam a me relictam perscrutatus, in unum corpus quae inveniet collegerit atque digeserit, meliore fortuna ducto, maiore praesertim artis tragicæ et ingenii tacitei scientia ac sensu praedito, artis illius „daemonicacæ” occulta pandere liceat, quantum quidem artis mysteria perscrutari intellectui concessum est.

## CAPUT TERTIUM.

### DE RATIONE INTER TACITI CONSCRIBENDI ARTEM EIUSQUE FIDEM HISTORICAM INTERCEDENTE.

Qui nostri auctoris artem conscribendi paulo altius perscrutati sunt plerumque neque fidei eius historicae neque auctoritati multum tribuere solent. Immo nonnulli nullam vel certe dubiam eius fidem esse arguere ausi sunt.

Quantum igitur fidem scriptoris historicam conscribendi methodo afflictatam esse putent paucis verbis exponendum mihi videtur.

Opiniones eorum, quos dixi, in tres praesertim abeunt vias.

Primi quidem sed pauci, ut E. Bacha<sup>1)</sup> et Th. Jerome,<sup>2)</sup> fidem omnem et auctoritatem historicam ei abiudicant.

Alii contra — neque ii multi — inter quos A. von Stein<sup>3)</sup> et F. Knoke sunt,<sup>4)</sup> nullo modo ut fides eius in dubium vocetur permittunt, quamquam auctoritatem scriptoris, cum hic illic variis de causis nonnulla praetermissse censendus sit, non ab omni quidem parte firmam esse concedunt. Methodum eius res gestas conquiriendi et conscribendi a nostrae aetatis historiographiae modo non differre autumant.

Plerisque vero viam medianam ingredi magis placuit. Qui omnes, quamvis vario modo et ratione, adgnoscunt et affirmant, fidem eius

<sup>1)</sup> Cf. E. Bacha. o.c. passim, praesertim p. 19: „Il a présenté sous la forme d'une composition historique des fictions de la plus audacieuse fantaisie.” id. p. 26: „Le poète (Tacite) avait l'hystérie du mensonge.”

<sup>2)</sup> Cf. Amer. Journ. of Class. Phil. VII. 3. 265-292. The Tacitean Tiberius. Quae Tacitus de Tiberio profert, ex iis quea in rhetorum scholis de tyranno declamabantur, eum sumpsisse auctor contendit.

<sup>3)</sup> Cf. Neue Jahrb. 35. 1. Abt. 361. 369. 373-4.

<sup>4)</sup> Cf. Die Kriegszüge des Germanicus in Deutschland, 1922, p. 7 et passim.

historicam et auctoritatem arte conscribendi aliquantulum esse imminutam.

Huic opinioni aliquatenus se adiungunt G. Boissier, H. Schwabe, M. Schanz, B. Niese,<sup>1)</sup> firmius iam ei adhaerent H. T. Karsten, L. v. Ranke, Th. Mommsen, J. Froitzheim, O. Hirschfeld, Ph. Fabia, C. Wachsmuth, F. Vianey, J. J. Hartman, R. Heinze, M. Claeys Bovvaert, F. Leo, W. Kroll, E. Courbaud, A. Rosenberg;<sup>2)</sup> acerrime vero eam defendunt L. Spengel, W. Liebenam, A. Spengel<sup>3)</sup>.

Qui de methodo Taciti eiusque arte conscribendi agere intendunt fidem eius et auctoritatem historicam silentio praeterire non potuerunt. Immo nonnumquam Tacitum ut ad pathos excitandum<sup>4)</sup> res gestas apte disponeret, ordinem temporis parum respexit ostenderunt, sed raro ea de causa scriptorem falsa protulisse affirmant.<sup>5)</sup>

<sup>1)</sup> Cf. G. Boissier, *Tacite*. p. 86. — Schwabe, R. E. P. W. IV. 1587-89. — M. Schanz, *Geschichte d. lat. Litt.* II. 2<sup>3</sup>. 323-324. — B. Niese, *Grundriss d. Röm. Geschichte*. 1910. 278; 309-310.

<sup>2)</sup> Cf. H. T. Karsten, *De Publ. Corn. Taciti fide*, 1868. 10-11. — L. v. Ranke, *Weltgeschichte*. III. Anal. 300-301. — Th. Mommsen, *Hermes* IV. 1870. 311-312, et 316-317. — J. Froitzheim, *De Taciti fontibus in l. I. Anna- lium*. 1873; id. *Rh. Mus.* 32. (1877). 340. — O. Hirschfeld, *Hermes*. 25. (1890). 364-5, 371, 373. — Ph. Fabia, *Les Sources de Tacite*. 1893. 282; 425. — C. Wachsmuth, *Einleitung i. d. Stud. d. Alt. Geschichte*. 681. — F. Vianey, o.c. 18-19. — J. J. Hartman, *Analecta Tacitea*. 1905. 12-15 et passim. — R. Heinze, *N. Jahrb. f. klass. Phil.* 1907. 170. — M. Cl. Bovvaert, o.c. 114; 134; 144-146; 168; 212. — F. Leo, *Geschichte d. Lat. Litt.* 1912. 467. — W. Kroll, in *Teuffel-Kroll, Gesch. d. röm. Litt.* III<sup>6</sup>. 16. — id. *Studien z. Verst. d. Röm. Litt.* 24. 374. sqq. — E. Courbaud, o.c. 96; 135-137; 140; 144, sqq. — A. Rosenberg, *Einleit. u. Quellenkunde z. Röm. Gesch.* 1921, 265.

<sup>3)</sup> Cf. L. Spengel, *Abh. phil. philol. Klasse d. Bayr. Akad. d. Wiss.* VII. 1855. 695. sqq. — W. Liebenam, *N. Jahrb. f. klass. Phil.* 143. (1891) 718-19. A. Spengel, *Sitz. Ber. d. phil. philol. u. hist. Kl. Kön. Bayr. Ak. d. W.* 1903. 3. sqq.

<sup>4)</sup> Cf. K. Witte, o. c. 270. — R. Heinze, *N. Jahrb. f. kl. Phil.* 1907. 170. — W. Liebenam, o. c. 718. 878. — E. Courbaud, o. c. 135-148. — O. Hirschfeld, *Herm.* 25. 373. qui paucis verbis luculenter hanc nostram quaestionem indicavit: „Die Beantwortung der allgemeineren für die ältere Kaisergeschichte wie für die richtige Würdigung der Taciteischen Arbeitsweise nicht unwichtigen Frage, in wieweit der Historiker überhaupt die genaue Zeitfolge der Tatsachen der künstlerischen Composition untergeordnet hat, muss eine eigne Untersuchung vorbehalten bleiben.”

<sup>5)</sup> Cf. *de morte Othonis: Hist.* II. 46-49: Th. Mommsen, *Hermes*. IV. 1870. 311-312; attamen etiam Ph. Fabia, o.c. 273 adn. 1. — *De Annal.* II. 84.

Quam ob causam in eiusmodi narrationes investigationem instituere non abs re mihi visum est. Quae de secunda earum quas supra tractavi inveni atque digessi, exempli causa exponam.

Imprimis inquirendum mihi videtur in hanc ipsam narrationem quae de seditione legionum Germanicarum agit. De ea enim iam olim viri docti absolutum atque perfectum iudicium nequaquam tulerunt. Nec mirum, cum et ipsa narratio hic illic satis intricata sit et ea quae ab aliis scriptoribus antiquis afferuntur — pro illo tempore atque eiusmodi rebus gestis satis multa, — ab iis quae apud Tacitum inveniuntur, plus semel discrepare videantur.

Imprimis vero quaerendum mihi esse censeo utrum id ipsum quod alii hucusque omnes fere neglexerunt,<sup>1)</sup> — structuram dico narrationis tragicam, — ad dubia solvenda prodesse possit.

Praeter ipsius Taciti narrationem (Ann. I. 31-44) extant testimonia quae sequuntur:

Dio Cass. 57. 5. n. 1-7 et 6. n. 1. — Sueton. Tiber. 25. — id. Calig. 1 et 9 et 48. — Vell. Patrc. II. 125.

Quibus locis collatis satis iam patet ad Taciti et Dionis testimonia prae ceteris esse recurrentia ei qui totum rerum gestarum ordinem accurate requirit. Imprimis igitur ratio quae inter Tacitum et Dionem intercedit recte statuenda est.

Quam ut facilius et lucidius adumbremus, primo conferendi et perscrutandi mihi videntur loci celeberrimi qui extant apud Tacitum Ann. I. 40-44. 6, et Dionem 57. 5. 6-7 et 57. 6. 1. In quibus quomodo tumultui finis imponatur ambo exhibent atque etiam — primo saltem obtutu — maxime discrepare videntur. Tum vero locos qui minoris sunt momenti, digerendos et diiudicandos assumam.

O. Hirschfeld, Herm. 25. 365. — De Hist. III. 67-68: Ph. Fabia, o. c. 282. E. Courbaud, o. c. 137-140. — Necnon de locis dubiis Ann. XIV. 3. sqq. et XIV. 65 cf. J. J. Hartman, o. c. 15-16; 40; 114-115. — De Ann. IV. 2 et 18-20 cf. M. Cl. Bovvaert, o. c. 149. adn. I. — De Ann. III. 37. IV. 54. V. 3. VI. 27. XIII. 46 cf. W. Kroll, Studien etc. p. 369-82.

<sup>1)</sup> Cf. tamen: F. Lillge, Sokrates 1918. 230. adn. 5. — J. Froitzheim, Rh. Mus. 32. 346-48. — W. Liebenam, o. c. 729.

TAC. ANN. I. 40-46. 6. — DIO. 57. 5. 6-7 et 57. 6. 1.

Inquiritur primo, quomodo Agrippina profecta sit quaque ratione Germanicus et milites hoc temporis momento sese gesserint.

Primo Dio multitudinem seminarum una cum Agrippina clam proficiscentem inducit („*ὑπεκπεμφθέντες*”), Tacitus contra palam per castra (41. „*suis in castris .. progrediuntur contuberniis .. occursantes*”).<sup>1)</sup> Agrippinam et Caligulam non tantum a militibus videri („*adverterere*”) sed etiam ne pergant prohiberi et comprehendendi Dio affirmat („*συνέλαβον*”), milites vero eas commiserari et admirari Tacitus contendit (c. 41 „*pudor.. miseratio.. invidia*”). Vim esse adhibitam a militibus Dio etiam testatur verbis quae sequuntur „*ἀφῆκαν*” et „*χάτεσχον*”; apud Tacitum vero verba c. 41 „*orant, obsistunt*” non violentiam ac pervicaciam sed insistentem obsecrationem significare e verbis quae praecedunt (c. 41: „*pudor... miseratio... invidia...*”) quaeque sequuntur (c. 44: „*supplices.. orabant*”) satis iam patet. Ipsa igitur rerum summa discrepant inter se ea, quae Tacitus quaeque Dio hoc in loco nobis impertint. Sunt alia quoque, neque minoris momenti, quibus hoc loco auctores inter se distant. Milites enim non pudore, misericordia, invidia commotos vel conscientia criminis coactos, ut refert Tacitus capp. 41 et 44, sed precibus tantum Germanici<sup>2)</sup> („*αὐτῷ δεηθέντι*”) adductos Agrippinam et eam solam sine Gaio<sup>3)</sup> („*τὸν δὲ Γάιον κατέσχον*”) dimississe a Dione traditum est.

<sup>1)</sup> Neque obstat quod in c. 42. legimus verbum ab ipso Germanico assumptum „*submoveo*.“ Non enim hoc loco idem vult ac „*ὑπεκπεμφθέντες*“ sive „*occulte dimisi*.“ Primo enim praefixo „*sub*“ nequaquam semper significatio occultandi inest; deinde etiam unum verbum, idque oratorium, ceteroquin dubio sensu, ad scriptoris sententiam eis quae clare patent e cap. 41. opponendam nihil valere existimo.

<sup>2)</sup> Verba Taciti „*si mihi filium et coniugem redditis*“ idem velle atque „*αὐτῷ δεηθέντι*“ apud Dionem, ut vult J. Bergmans, Die Quellen der Vita Tiberii. 1903. p. 39, iure a G. Kessler, Die Tradition ü. Germanicus. 1905. 24. adn. 5. negatur. Locus enim ille totus est arte rhetorica compositus. Verba deinde ipsa quae respicit Bergmans eodem sensu sumantur atque ea quae sequuntur „*si legatos senatuī*“; qui tamen legati iam periculo fuerant exempti. Ex ipsis etiam Taciti narratione — ut pauca addam — efficitur Germanicum eorum, quae Caligulae et Agrippinae obvenerant, etiamtum fuisse ignarum (c. 41. „*pars.. alii ad Germanicum*“), ideoque verba eius ad uxoris et filii condicionem dignoscendam nihil valere.

<sup>3)</sup> Tacitus Caligulam una cum Agrippina a militibus esse dimissum, Dio vero eum solum esse retentum affirmat. Quam discrepantiam e Taciti narratione

Germanici deinde eloquentia, gravitate, auctoritate necnon ipsorum animo culpae sibi conscio adactos milites subito se subieccisse Tacitus exhibet; Dio contra eos nil sentientes paulatim sedatos esse, cum vana fore quae temptabant intellegerent („χρόνῳ .. ὡς οὐδὲν ἐπέγαιον, ησύχασαν . . .”). Apud Tacitum ipsi milites poenitentia ducti proelia postulant, apud Dionem vero Germanicus consilio ac ratione commotus, simul vero ut causas novae seditionis amoveret, impetum in hostem praeparat. Quae hoc loco a Dione commemorantur, sine dubio apud Tacitum I. 49-51, non vero c. 49 („in Raetiam mittuntur”) invenies, quamquam consilium itineris non est idem. Etenim Tacitus c. 49 agit de brevi quodam in hostilem terram incursu ad poenas infligendas, ad timorem incutendum, ad furorem piandum.

Sua sponte denique, neque Germanici precibus commoti, ut vult Tacitus, rebelles ad puniendos noxios exsurgunt (*αὐτοκελευστοί*; c. 44. „cetera ipsi exsequerentur”). Mirum sane est, Dionem de causa tantae animorum conversionis (ἐς τοσαύτην μεταβολήν . .) plane tacere. Qui sine dubio, si Tacitum abbreviasset — ut vult Bergmans l. l., — causas psychologicas illius immutationis sibi assumpsisset vel earum in locum, si parum rectas existimasset novas sibi finxisset.

Satis iam demonstrasse mihi videor, consilium utriusque scriptoris eorumque iudicia de rebus gestis quam maxime inter se differre, ipsas denique narrationes parum esse affines.

Apud Dionem — ut breviter omnia quae exposui complectar, — rebelles semper et ubique praevalent, Germanicus vero, consilii ac fortitudinis expers, in toto rerum decursu cedit militibus.

---

a Dione male abbreviata originem traxisse J. Bergmans o. c. 40 sine causa contendit. Etenim apud Tacitum nequaquam Agrippina et Caligula separantur. Verbum utrumque c. 41. „rediret, maneret” ad Agrippinam tantummodo spectat. Quae enim praecedunt verba „invidia in Treviros” ipsa rursus respiciunt verba: „pergere in Treviros.” Hoc vero loco de Agrippina sola, subiecto sententiae, agitur. De ipsa tantum Agrippina etiam milites loquuntur verba quae sequuntur: „patris . . avi . . sacer . . ipsa.” Obiter tantummodo et ut populi favoris in ipsam Agrippinam rationem reddat auctor Caligulam — dum nomen reticet — memorat („iam infans in castris genitus.”). Quae contra Suetonius refert (Calig. 9.), Caligulam scilicet solum fuisse conversionis causam, ad Taciti verba, nequaquam obscura, male interpretanda ne adhibeantur.

Deinde ipsa animorum conversio, a Tacito accurate descripta et tamquam res summi momenti cum tota narrationis structura intime connexa, eiusque nexus causalis cum Agrippinae profectione et oratione a Germanico habita, expressis verbis a Dione alia quam ab ipso Tacito ratione referuntur.<sup>1)</sup>

Postquam demonstravimus Taciti et Dionis narrationes quod ad ipsam rerum summam attinet inter se discrepare, afferre liceat etiam minoris momenti res, quae ipsae quidem parum perspicuae, ad nostram sententiam confirmandam aptae sunt.

Primum de consilio rebellium acturus sum. Uterque rerum scriptor milites de Germanico tamquam de Tiberii aemulo cogitasse memorat. Tacitus vero de omnium expectatione ac spe proprie loquitur (c. 31: „*magna spe*”), de imperio a paucis etiam violenter oblato (c. 35: „*fuere qui*”). Quod tamen a militibus factum est hoc tantum consilio ut condicionem suam meliorem redderent. Hanc Taciti sententiam a Dione vere differre, neque hanc discrepantiam casu tantum extitisse neque ex errore Dionis fontes, quibus usus est, male intellegentis provenisse confirmant testimonia quae inveniuntur apud Sueton. Calig. 1. Tiber. 25. et Vell. Patrc. II. 125 („*defuitque qui duceret.., non qui sequerentur*”).

Una enim cum Dione rerum scriptores illi diserte asseverant, milites cogitasse de Germanico ad summum imperium provehendo, et quidem palam, ex industria, ab exercitu universo, hoc tamen consilio ut quae postulabant extorquerent.<sup>2)</sup>

<sup>1)</sup> Quam exposui sententiam et nonnulla etiam argumenta a me allata invenies apud L. Spengel, o. c. 708. sqq; R. Weidemann, Die Quellen d. 6 ersten Bücher v. Tac. Ann. Cleve. Progr. 1868. p. 5-6; J. Froitzheim, De Taciti fontibus, 8-21; W. Liebenam, o. c. 732; A. Spengel, o. c. 19; G. Kessler, o. c. 24. adn. 5; H. Jaeger, De Cassii Dionis libr. 57 et 58 fontibus. 1910. 27; contra iam olim Th. Mommsen, Hermes XIII. 245. sq, et postea J. Bergmans, o. c. 33-41, Tacitum cum Dione concordare censuerunt.

<sup>2)</sup> Quae Dio de Germanicarum legionum seditione profert narrationi Suetonianae hac in re satis certo sunt similia. Germanicum Tiberii loco ab ipsis militibus ad imperium esse provectum tamquam rem praecipuam atque imprimis memoriae dignam enuntiat („οὐδὲν ἐμετρίαζον.. τὸν Γερμανικὸν αὐτοκράτορα ἀπεκάλεσα”), cetera quae postulaverant paucis tantum adumbrans („τὰ αὐτὰ προτεινόμενοι”). Tertii tantum p. Chr. n. saeculi proprium esse id quod nobis auctor exhibit, Germanicum scilicet ut posterioris aetatis imperatores a militibus principem esse creatum, J. Bergmans, I. I. 34. contendit.

Nunc vero singula quaedam memorabo.

Dio milites non tandem aliquando — ut Tacitus refert, — sed initio iam ac statim imperium praemeditato consilio Germanico obtulisse affirmat.

Differunt deinde inter se ea quae ab utroque scriptore tamquam a Germanico gesta referuntur.

Tacitus amicos eius prohibuisse ne sibi mortem conscisceret contendit; quod plane cum Germanici ingenio cumque narrationis structura tragica consonat. Dio vero eum inducit ut personam comoediae propriam animi motibus scilicet vehementer agitatam et simul placide ac quiete ratiocinantem. Ipsa etiam Germanici rationcinatio („ἰδὼν ὅποι.. διὰ τὰ ἄλλα.. οὐκ ἐτόλμησε”) satis differt ab ea quam ab amicis habitam esse Tacitus (c. 36.) exponit. Tum etiam verba „ἀστικοῦ δχλοῦ” causam eos dimittendi indicant, apud Tacitum vero eo quod causam ipsius seditionis ab initio adumbrant, magis festive expectationem augent. Quibus insuper Dio, nequaque e Taciti narratione hauriens, „μετὰ τὴν τοῦ Οὐάρου συμφοράν” addit.<sup>1)</sup>

Neque ratio qua legati a Tiberio ad Germanicum mittuntur apud utrumque eadem legitur. Attamen opinionem eorum, qui ab ipso Dione haec adiecta esse putant, haud absurdam duco.<sup>2)</sup> Dio denique referre neglegit, Germanicum a militibus male esse tractatum. Quodsi revera Taciti narrationem contraxisset vel suam e communi

---

Tacitum cum Suetonio hoc in loco concordare existimat; quod contra Dio narrat quodque ab aliis discrepare contendit, tertii saeculi proprium putat, ideoque tamquam ab ipso Dione excogitatum reicit. Ast immerito: quemvis paulo altius rem perscrutantem non fugit Suetoniana iis quae apud Dionem legimus valde esse similia. Cf. Suet. Tib. 25: „Germanici quidem (ita Ihm, in editione sua critica; immerito Bergmans: „quidam”) etiam principem detractabant non a se datum summaque vi Germanicum.. ad capessendam rem publicam urgebant quamquam obfirmate resistentem.” id. Vit. Calig. 1.: „legiones universas imperatorem Tiberium pertinacissime recusantes et sibi (sc. Germanico) summam rei publicae deferentis.”

Eadem fere refert Velleius Paterculus II, 125; cuius vero testimonium minoris aestimabitur momenti, quippe qui in maius augere et rhetorice ornare soleat ea quae a Tiberio sunt gesta. Nota tamen verbum „ducem” l. 1., ut videtur, idem velle atque „imperatorem” „principem”.

<sup>1)</sup> Cf. G. Kessler, o. c. 29. adn. 5. — J. Bergmans, l. l. 36. — J. Froitzheim, De Taciti fontibus. 8.

<sup>2)</sup> Cf. J. Bergmans, l. l. 37; contra H. Jaeger, o. c. 27.

fonte hausisset, nequaquam illa praeteriisset, cum vel legatos foede mulcatos esse memoret. Ex industria rursus Dionem hanc rem omisisse velut auctoritati et reverentiae novo imperatori debitum parum convenientem haud facile mihi probatur, cum omnia quae ab eo referuntur gesta, vi atque irrisione abundant.<sup>1)</sup>

Addendum est etiam narrationes structura sua inter se differre. Apud Tacitum enim unum quoddam corpus, in plerasque partes divisum, apud Dionem vero discernimus duplex certamen („οὐτως στασιάζοντες ἐπαύσαρτο”), ut supra suo loco demonstravi. Neque omittas verba c. 37: „*sensit miles . . conficta*”. Dio enim tradit postea demum milites sensisse litteras a Germanico esse confectas, eamque fuisse renovatae seditionis causam. Apud Tacitum vero legimus, milites, fraude statim iam cognita, postea denuo exarsisse, animo rebelli ac pavido culpaeque sibi conscio in furorem versos.<sup>2)</sup>

<sup>1)</sup> Contra J. Bergmans. I. I. 37.

<sup>2)</sup> Unde fit ut, causa legatorum adventus a Germanico exposita, animorum motus non quiescat (c. 39. „*attonita magis quam quieta . .*”). Recte W. Liebenam I. I. 729, existimat nequaquam hoc loco (cap. 37) seditioni finem esse impositum sed immerito queritur quod Tacitus huius rei rationem exponere omiserit. — Unde etiam fit ut ea quae auctor de legionibus Coloniam Agrippinam proficiscentibus exhibet primo obtutu satis intricata videantur. Etenim c. 37 auctor agit de legg. V et XXI ut inter rebelles praecipuis („*non abscessere quintani unetrvicesimanique donec . .*”); ast cum I et XX abscedentes memoret, nullum de illis facit verbum. Non tamen errore ipsius Taciti vel fontis ab eo adhibiti legiones V et XXI cum I et XX esse permutatas, ut volunt plerique (cf. Th. Mommsen, Hermes. XIII. 1878. 256. adn. 3. — W. Liebenam, o. c. 728. — M. Gelzer, R. E. P. W. i. v. Germanicus Iuli u. s. 441.), existimo sed praemeditato consilio ita factum esse mihi videtur. Etenim has duas solummodo legiones auctor memorat et de V et XXI tacet hoc consilio ut c. 37 cum c. 39 artius coniungat eoque ipso narrationis corpus unum reddat et perfectum. Ab eisdem enim legionibus I et XX seditio nostra renovatur atque adeo usque ad finem perducitur. De ceteris legionibus V et XXI ne verbum quidem facit ne narrationem unam in se et perfectam dividere cogatur. Postea vero c. 45 quae illis legionibus contigerint memorat.

Ceterum legiones I et XX quoque stipendia accepisse scriptor non quidem expressis verbis affirmat, sed satis certo ex iis quae praecedunt intellegitur, cum Germanicus comis et indulgens (c. 36. „*duplicari*”, c. 37. „*quamvis non flagitantibus*”) iis, quorum culpa fuit minor, eadem largitus esse putandus sit. Caecinam vero utpote maxime idoneum (cf. c. 68) ad imperii sedem, Coloniam Agrippinam, cum duabus legionibus esse praemissum ibique Germanicum Mogontiaco redeuntem expectasse, tum demum Vetera esse profectum (cf. c. 48), non est cur negemus.

Ex iis quae digessi concludendum nobis est, nisi fallor, narrationem taciteam ab ea quam apud Dionem invenimus ita differe, ut neque e neglegentia eius, qui fortasse Dionis historiam contraxit, neque ex imprudentia ipsius Dionis narrationem taciteam exscribentis vel ipsius Taciti fontem neglegenter excerptis vel audacter dilatantis, haec discrepantia orta sit. „Neque enim” ut recte monet H. Jaeger I. I. 28, „aut Tacitum aut Dionem illos omnes locos quibus non consentiunt ex alio quodam fonte non communi inseruisse, ceteris rebus e communi fonte genitis, neque hunc communem fontem suo arbitratu adeo flexisse credibile est.” Non utique negandum esse censeo ea quae Tacito Dionique communia sunt et ad verbum nonnumquam inter se congruunt, ultimo loco ex una eademque rerum relatione profluxisse.<sup>1)</sup>

Hisce positis oritur quaestio utrum Taciti an Dionis narratio an neutra vera putanda sit.

Quodsi tacitea — ut ab ea incipiam, quippe quae longior sit et ad investigandum aptior, — non esset recta, quaerendum videtur quare aut quomodo aut quo loco vera falsis immixta sint. Non enim est cur facta ab utroque narrata, a Suetonio et Velleio confirmata, in dubium vocemus.

<sup>1)</sup> Cf. etiam E. Schwartz, R. E. P. W. I. v. Dio Cassius. III. 1714. sqq. — Iis, quae de ratione inter Tacitum et Dionem intercedente exposui, non consentiunt: L. Spengel, o. c. 702, qui Dionem imprimis Tacitum secutum esse autumat. — R. Weidemann, o. c. 5-6, qui iudicium ferre non est ausus nisi de ipsa narrationis summa, rebellium scilicet conversione, quam utrumque auctorem diverso modo narrasse non negat, e communi tamen fonte eam fluxisse autumat. — J. Froitzheim, De Tac. font. 20, qui Dionem fontem communem mira levitate in contrarium vertisse contendit, postea vero, iudicio mutato, Rh. Mus. 32. 348, Dionem magis fide dignum existimavit. — Th. Mommsen, Herm. XIII, 258. adn. I, qui omnia e fonte communi, ab utroque auctore vario modo aucto, emanasse aestimat. — J. Bergmans, I.I. 33-41; 120, omnem narrationem a Dione e Tacito ipso desumptam esse affirmare non dubitat. — G. Kessler, I. I. 22-27, de quo infra disputatum est. De ratione inter D. et T. intercedente generali modo egit H. Jaeger I. I. 6-7. Quae singuli quos laudavi auctores argumenta protulerunt, in iudicium vocare non neglexi. Imprimis minime mihi placet, eos plerumque singula tantum utriusque auctoris verba inter se contulisse, totius tamen narrationis structuram et consilium et verborum contextum parum curasse.

Nonnulli narrationem taciteam, unum et perfectum corpus in se, a Dione esse mutatam iam olim contenderunt.<sup>1)</sup>

Alii contra ea quae Tacitus refert de animorum rebellium conversione vel ficta vel in maius aucta esse dixerunt.<sup>2)</sup>

Denique G. Kessler (o. c. 22-27), ut iam olim Th. Mommsen l. l., et haec et alia quae de Germanico narrantur, e communi quodam fonte, ab utroque tamen vario modo aucto, emanasse contendit et singulari cura suam sententiam allatis rationibus adstruxit.

Cum vero priores quos laudavi, generali tantum modo, vel sola Taciti fide vel nimia arte qua narrationem suam ornavit innisi, opinionem suam defendere conati sint, primo quid de singulis quas G. Kessler attulit rationibus sit sentiendum exponam, de toto narrationis corpore argumentisque priorum postea (p. 110-112.) acturus.

Censet igitur G. Kessler l. l., Tacitum suam de seditione narrationem e duabus praesertim partibus, (c. 31-39 una cum 44<sup>6</sup>-44<sup>23</sup>; et 40-44<sup>6</sup>), e diversis fontibus desumptis, composuisse, hac ratione ut ea quae de Agrippina abscedente deque rebellibus se convertentibus profert, fonti communi inseruerit. Etenim 1) exhibita esse quaedam inter se contraria in toto narrationis decursu existimat. 2) Partes deinde quas indicavit, etiam ingenio litterario sibi proprio satis multum differre putat. 3) Denique autumat in secunda praesertim parte nonnulla narrari quae ipsa parum credibilia esse videantur.

Ergo — ut singula tractem — primum quidem differre inter se dicit duas nostras partes eo quod Germanicum domicilium suum nunc hic nunc illic habere narratur. Quibus assentiendum esse mihi videtur.

Etenim e verbis cap. 39: „in domo Germanici” et „ingressus castra” Germanicum extra castra habitare patet; tum ea quae c. 40 exponuntur, eum apud Agrippinam in urbe manere ac habitare confirmant. Ast c. 41 auctor Agrippinam per castra incedentem

<sup>1)</sup> J. Froitzheim, De Taciti fontibus. 10-11; J. Bergmans, l. l. passim.

<sup>2)</sup> L. Spengel, l. l. 709 713. — J. Froitzheim, Rh. Mus. 32. 346-348. — Th. Mommsen, Hermes. XIII. 245. sqq. — W. Liebenam, l. l. 729. 732. — A. Spengel, l. l. 19-22.

inducit („*suis in castris.. egrediuntur contuberniis.. occursantes .*”), et simul ipsa narrandi ratione suggerit totam turbam una cum Agrippina ex ipsis castris esse profectam.

Etenim verbo „*incedebat*” auctor quasi actionis initium denotat eoque etiam locum in quo actio incohatur designat. Ideoque et consilium c. 40 memoratum eodem loco habitum esse patet, totaque familia cum Germanico in castris habitare putanda est. Quis enim crediderit eas in castra esse reversas vel praemeditato consilio ex urbe in castra se contulisse per medios rebelles incedentes, sine tutela, sine comite, nulla denique necessitate coactas ?<sup>1)</sup>

Praeterea non eundem assignari castrorum locum in variis nostrae narrationis partibus existimat. Etenim c. 39 legiones seiunctas, in variis scilicet castris, excubare („*castra primae legionis ingressus*”), c. 42-44 vero Germanicum apud ambas simul legiones contionari, ergo legiones in iisdem castris habitasse auctorem exhibere contendit. Iniuria, nisi fallor. Ex eo enim quod Germanicus „*ut erat recens dolore et ira*” apud universum exercitum fortuito congregatum et „*circumfusum*”, neque igitur, ut solet, distinctis ordinibus collectum, contionem habuit, nequaquam in hac praesertim rerum condicione concludendum est ambas legiones iisdem in castris semper habitasse. Facile enim eos in unum convenire potuisse patet vel e c. 44<sup>7</sup>, quem locum ex eodem ac c. 31-39 fonte fluxisse ipse Kessler contendit. In quo loco ambae legiones in castra legati legionis primae revera convenisse dicuntur ut contioni intersint; neque, nisi fallor, diversa c. 34-35 exhibentur.

Quae de utriusque partis genere litterario, de arte narrandi et componendi inter se diversis, Kessler protulit, collatis quae supra de hisce disserui, satis refutantur. Immo totius narrationis unitatem, perpensis eius structura et conscribendi arte, facile demonstrari posse nemo negabit. Magis sane in parte altera auctor — ut solet, ante summam rerum conversionem — evidentia describendi animorum affectum excitare intendit.

De singulis nunc rebus quae veritati videntur contrariae,

<sup>1)</sup> Argumenta, quae G. Kessler l. l. indicavit, digerere et supplere necessarium duxi, quia G. Andresen, Jahresb. d. Philol. Vereins. 1906. 283. sqq., parum recte ea impugnans contendit in c. 40-44<sup>6</sup>. nequaquam de Germanici domicilio actum

prae ceteris utique de eis quae in altera occurunt parte, agendum mihi est. De legionum commutatione capp. 38 et 39 obvia supra (p. 104. adn. 2.) iam egi. Cetera quoque, quae de Agrippina proficiscente deque rebellium conversione iam exposui (100-101), non iteranda sed supplenda tantummodo mihi sunt.

a) c. 41. „*pergere ad Treviros*”.. Haec parum recta esse censem Kessler, cum itineris consilium militibus non sit notum. Verum contextu et modo narrandi accurate perspectis intelleges auctorem respexisse famam quandam quocumque modo ortam, vel ab Agrippinae sociis vel ab ipsis militibus profectam et per castra vagantem. Ceteroquin neque haec narrandi methodus apud Tacitum plane est insolita : saepius in medias incidit res, dum rerum gestarum nexus causalem supplendum relinquit.<sup>1)</sup>

b) Verba c. 44: „*reditum Agrippinae... venturum filium*” rerum condicioni parum apta esse iudicat. Immerito aio. Collatis quae c. 41 inveniuntur verbis „*rediret maneret*” hunc locum non ad verbum esse interpretandum G. Andresen l. l. iure censem. Utriusque enim loci verba latiore notione adhibentur de iis qui quamquam non longe absunt, loco suo abscesserunt. Ceteroquin e narrationis contextu concludendum videtur condicionem Agrippinae proficiscentis ipsi Germanico non plane notam fuisse. Unde etiam verba c. 43 „*si mihi... redditis*” notione latiore intellegenda sunt, cum neque ipsi Germanico satis certo constet eos quos exposcit ibidem adesse vel vi retineri.

c) Verbis c. 44: „*ob imminentem partum*” non immerito fidem denegat;<sup>2)</sup> sunt certe obscura falsisque similia. Ceterum apud utrumque auctorem inveniuntur.

d) Verba c. 41: „*in castris genitus*” revera falsa tradunt, neque a Dione sunt recepta.<sup>3)</sup> Haec tamen sola, quippe quae obiter dicta sint et res minoris momenti referant, auctoritatem fontis vel ipsius auctoris imminuere non videntur.

Quibus perspectis huic tantum rei fides dene-

<sup>1)</sup> Cf. G. Andresen, l. l. qui recte monet neque narrari militibus (cap. 35) ea quae testamento Augusti continentur, nota fuisse.

<sup>2)</sup> Cf. Th. Mommsen, Hermes XIII, 245. sqq.

<sup>3)</sup> Cf. Th. Mommsen, l. l.

ganda videtur. Agrippinam scilicet per ipsa castra esse profectam.

Haecine res tantum valere putanda est ut nostram historiam duabus partibus esse compositam credamus?

Num e duobus modo fontibus commixtis neque ex alia causa quacumque haec in rebus exponendis discrepantia quam legimus, originem traxisse dicenda est? Num ipse Tacitus, minime ignorans fontes suos inter se discrepare, ea quae coniunxit hac in re quoque differre non perspexisse putandus est, cum tanta cura et consilio res gestas disposuerit?<sup>1)</sup>

An potius ex industria hanc inter eas discrepantiam occultare conatus est? Cui umquam talis explicatio probari possit, cum auctorem nil eiusmodi temptasse appareat, quamquam verbis paucis mutatis insertisve id efficere potuisse?

Nonne potius auctor putandus est, cum respiceret totius narrationis structuram dramaticam tragœdiae similem, quae eiusmodi inter milites et Agrippinam congressum postulat, quae etiam ipsa castra quasi sola et singulari modo apta ad hanc scenam præcipuam exhibendam requirit — nonne narrationem traditam, apud Suetonium quoque obviam,<sup>2)</sup> hac in re mutavisse vel ipse hunc congressus locum in usum suum finxisse putandus est?

Nonne locum in quem obviam sibi venirent utriusque, ut certamen discerneretur, mutavit et in castra transtulit, nullis de hac re — ut auctor solet — verbis factis? Unde contigit ut rerum gestarum structuram parum esse verisimilem legentes fugerit.

<sup>1)</sup> Ceteroquin parum veri simile videtur auctorem libri cuiusdam brevioris, arte compositi, totam Germanici vitam complectentis („litteraire biographie”), δύνωμίω igitur similis, — talem enim fontem primæ taciteae narrationis parti Dionique communem fuisse putat Kessler, I. I. 94; 96, — ignorasse vel amore veritatis commotum omisisse hanc conversionis expositionem, sine dubio celeberrimam, quippe quae Germanico faveret, ad famam eius extollendam et ad favorem vulgi captandum præ ceteris aptam.

<sup>2)</sup> Suetonius Calig. 9, de loco quo milites Agrippinam obviam habuerunt, omnino tacet; scenam quoque dramaticam tragœdiae propriam (c. 40 *incedebat* etc.), miserrimam Agrippinae condicionem et militum haesitantium dubitationem non commemorat; Caium denique, non Agrippinam primas partes agentem inducit. At causam conversionis de qua agimus eandem fuisse denotat („*invidiam deprecati sunt*”). A quibus nequaquam discrepant ea, quae Calig. 48 inveniuntur; verba enim „*patrem et se*” ad totius tumultus summam spectant.

Nequaquam hac ratione, fidei Tacito debitae parum congrua, quaestionem nostram solvendam esse proposissem, nisi alii quoque, de nostro bene meriti, plus semel eiusmodi artifia poetae propria apud rerum scriptorem notassent.<sup>1)</sup>

Quibus omnibus peractis iam quaeritur num ipsa Taciti narratio, — paucis rebus quas dixi remotis, — una cum Suetonii rerum relatione, in hac de qua praesertim agitur re nostrae affini, fide et auctoritate praestet ei, quam Dio nobis exhibet.

Plerique fidem et auctoritatem nostri auctoris narrationis in dubium vocaverunt, cum artem eius curae veritatis nocuisse putarent, simplicem vero ac nudam Dionis relationem rem tantum respexisse rati sint.<sup>2)</sup>

Neque est quod miremur. Totius enim conversionis scenae structura et verborum compositio omnium consensu poetae, non rerum scriptoris propriae sunt. Insuper ipsa convertendi ratio parum verisimilis videtur, milites scilicet ac rebelles misericordia, pudore, invidia commotos subito se subiecssisse et iam de rebus ob quas tumultus exarserat, ne verba quidem fecisse, immo ipsos suos duces punivisse.

Deinde, ne in universum modo Taciti artem conscribendi et affectus excitandi cogitemus, sed praesertim construendi eius methodum observemus ac percipiamus etiam atque etiam moneo.<sup>3)</sup>

<sup>1)</sup> Cf. supra p. 98. adn. 5.

<sup>2)</sup> Cf. supra p. 106; sunt autem qui sequuntur L. Spengel, I. I. 698-712. — H. T. Karsten, I. I. 64. sqq. — J. Froitzheim, Rh. Mus. 32. 348. — Th. Mommsen, Herm. XIII. 528. — W. Liebenam, I. I. 729. sqq. — A. Spengel, I. I. 14-20. — G. Kessler, I. I. 23-27.

<sup>3)</sup> Cum a plerisque ipsa describendi evidentia ad fidem scriptoris aut firmandam aut labefactandam iisdem in narrationibus adhibeatur, non abs re mihi videtur paucis verbis monere, duplarem esse descriptionis evidentiam, unam ex arte scriptoris ac rhetoris natam, alteram oculati testis singula referentis propriam. Haec autem, ut accurate ea quae facta sunt referat, exponit pleraque quae personarum, locorum, actionum sunt singulari modo propria, quaeque sunt minoris saepe momenti atque ea quae in humanarum rerum decursu semel tantum occurtere videantur. Illa vero, arti poeticae et rhetoricae notissima, cum a scriptoribus mediocri ingenio praeditis excolitur, artificia om-

Quae enim structurae nostrae narrationis singulari modo propria esse videntur, ea ipsa apud Dionem desiderantur. Primo enim noster quattuor partes unius corporis distinxit, Dio vero duplum exhibit seditionem. Deinde Tacitus secundam cum tertia parte praemeditato consilio quantum potest coniunxit, cum Dio has partes separat. At maioris sunt momenti quae in singulis invenies partibus. In secunda Taciti parte Germanicus, prima dramatis persona, ab amicis vi retinetur et ab amicis necessitate coactis ad concedendum impellitur. Apud Dionem contra incredibili animi praesentia in summo discrimine vana esse quae intendit perspiciens ab incepto desistit. In quarta denique parte summam rerum conversionem, a Dionis expositione plane alienam, omnibus artis suae illecebris noster construxit. E quibus suspicari haud dubie licet pleraque saltem a Tacito in maius esse aucta.

Quae contra apud Dionem invenitur simplex ac nuda expositio merito apud plerosque fidem invenit. Sed ne praetereas, quaeso, illos qui apud Dionem deprehenduntur locos intellectu difficiles. Primum quidem causa, ob quam Germanicus sibi mortem conscire noluit, parum verisimilis videtur, utpote moribus humanis ipsiusque Germanici ingenio minime conveniens. Deinde ubi exponit rebelles ita resipuisse ut ipsi de suis ducibus poenas sumerent, causam nimis incertam protulit („χρόνῳ ὡς οὐδὲν ἐπέρωτον”), unde ne ipsum quidem quicquam probabile invenisse fortasse suspicari licet.

Unde etiam Dionis fonti, qui rerum gestarum causas psychologicas minus quam par est curasse videtur, non semper et ubique temere fidem tribuendam esse apparent. Ipsae igitur rationes, quas ad hominum actus explicandos auctores nostri afferunt, — ut fere

---

nibus communia adhibere solet et quae scholam sapiunt proferre non dediguntur, ut consilium eius vix quemquam latere possit. Attamen nonnumquam singularis ingenii auctor ita ipsam naturam delineat ut primo obtutu eum quae ipse vidit et audivit, retulisse censeas. Notandum vero est, inter testium quoque relationem a scriptoris ingenio artificiis atque illecebris exornatam, et narrationem fictam diligenter discernendum esse neque facta ipsa una cum narrandi modo esse reicienda. Cf. E. Bernheim, Lehrb. der hist. Methode u. Geschichtsphilosophie. 1914. 377, 545, qui obiter tantum ea de re locutus est; et imprimis, A. Feder, Lehrb. d. geschichtl. Methode. 1924. 259-60, quamquam et ipse ad hanc nostram evidentiam, artis conscribendi antiquae propriam, minus quam par est animum advertisse videtur.

fit apud historiographos, — valde inter se discrepant : causam dico qua commotus Germanicus manus sibi inferre abstitit, causam etiam qua seditio denuo exarsisse quaque deflagrasse narratur, causam denique qua rebelles ad sanitatem revertisse dicuntur, una cum eorum erga Agrippinam animo et agendi ratione.


Haec igitur sit nostra conclusio, res gestas quas narrat auctor uterque, a rationibus et causis psychologicis esse seiungendas. Etenim de rebus ipsis, de factis historicis, satis inter se consentiunt neque est cur de hisce dubitemus.

De causis autem quas dixi quicquam pro certo statuere nemo umquam poterit atque earum investigationem irritam semper fore mihi quidem persuasum est; Dionis vero narrationem magis veritatis speciem prae se ferre non negaverim.

L. D.

## INDEX CAPITUM.

	Pag.
<i>Prooemium</i> . . . . .	1-4
<i>Caput Primum.</i> De historiae conscribendae artis hellenistico-peripateticae praceptis et usu . . . . .	5-19
<i>Caput Secundum.</i> De methodo qua Tacitus narrationes breviores easque perfectas composuerit.	
<i>Praefatio.</i> . . . . .	20-23
a. Pannonicarum Legionum Seditio. A. I. 16-30 . . . . .	24-41
b. Germanicarum Legionum Seditio. A. I. 31-44 . . . . .	41-56
c. Caecinae reditus . . . . . A. I. 63-68 . . . . .	56-66
d. Germanici Caesaris expeditio a. XVI facta. A. II. 8-22. . . . .	66-79
e. Coniuratio Libonis . . . . . A. II. 27-31 . . . . .	79-86
<i>Huius Capitis Conclusio</i> . . . . .	86-96
<i>Caput Tertium.</i>	
De ratione inter Taciti conscribendi artem eiusque fidem historiam intercedente.	
<i>Praefatio.</i> . . . . .	97-99
De auctoritate et fide narrationis quae est de Germanicarum legionum seditione . . . . .	99-112





## THESES.

### I.

Octavia Praetexta, vs. 131-133:

„Inimica victrix imminet thalamis meis”  
„odioque nostri flagrat et pretium stupri”  
„iustae maritum coniugis captat caput.”

Reiectis conjecturis Gronovii „poscit” pro „captat” et  
Hosii „e marito” pro „maritum” traditam lectionem tuendam  
esse aio.

### II.

Taciti Ann. I. I. 42:

„coniugem et liberos meos, quos pro gloria vestra libens ad  
„exitium offerrem, nunc procul a furentibus summoveo, ut  
„quidquid istud sceleris imminet, meo tantum sanguine  
„pietur, neve occisus Augusti pronepos, imperfecta Tiberii nurus  
„nocentiores vos faciant.”

Iniuria C. M. Francken, Cornelius Tacitus' Jaarboeken I-VI.  
1899 a. h. l., legendum esse putat „sanguini.”

### III.

S. Ambrosii Hymnus ad Galli Cantum. vs. 9-16 (Ed. G. M.  
Dreves. Lat. Hymnendichter d. Mittelalters. Bd. 50. 1907).

„Hoc excitatus lucifer  
„solvit polum caligine,  
„hoc omnis errorum chorus  
„vias nocendi deserit.

„*hoc nauta vires colligit*  
„*pontique mitescunt freta,*  
„*hoc ipse petra ecclesiae*  
„*canente culpam diluit.*”

Post voc. „*deserit*” omissa puncto, virgula distinguatur hac ratione ut verba coniungantur: „.. *hoc.. hoc.. hoc.. canente..*”

IV.

S. August. Conf. VI. 6. 9 (Rec. P. Knöll. 1898.):

„... *cum pararem recitare imperatori laudes, quibus plura mentirer, et mentienti faveretur ab scientibus..*”

Parum recte H. Peter. Die geschichtl. Litteratur ü. die Röm. Kaiserzeit. I. 38, hunc locum respiciens scribit:

„Augustin wagt es sich dessen zu rühmen, dass er in einer Lobrede auf den Kaiser das meiste erlogen habe und dafür von den Eingeweihten ihm Beifall gezollt worden sei.”

V.

Plutarch. vit. Aristidis, cap. IV. 6 (rec. Cl. Lindskog.):

„*ταῦτα δ' εἶπὼν καὶ τὰς κλοπὰς ἔξελέγξας, τοὺς μὲν τότε βοῶντας ὑπὲρ αὐτοῦ καὶ μαρτυροῦντας ἐπεστόμισε, τὸν δ' ἀληθινὸν καὶ δίκαιον ἀπὸ τῶν βελτίστων ἔπαινον εἶχεν.*”

Inter verba δίκαιον et ἀπό excidisse articulum τόν existimo.

VI.

Plutarch. vit. Catonis mai., cap. VIII. 12-13 (rec. Cl. Lindskog.):

„*ἐπεὶ δ' Εὔμενους τοῦ βασιλέως ἐπιδημήσαντος εἰς Ρώμην ἦ τε σύγκλητος ὑπερφυῶς ἀπεδέξατο καὶ τῶν ποώτων ἄμιλλα καὶ σπουδὴ περὶ αὐτὸν ἐγίνετο, δῆλος ἦρ δ' Κάτων ὑφορώμενος καὶ φυλαπτόμενος αὐτόν. εἰπόντος δέ τινος „ἀλλὰ μὴν χρηστός ἐστι καὶ φιλορώματος”, „ἔστω” εἶπεν „ἀλλὰ φύσει τοῦτο τὸ ζῆν δ' βασιλεὺς σαρκοφάγον ἐστίν.”*”

Verba „*δ' βασιλεύς*” aut expungenda sunt ut posterioris temporis emblema, aut saltem ut verba ipsius scriptoris uncis includenda.

VII.

Thucydides. I. 85. 2.

„καὶ πρὸς τὸν Ἀθηναίον πέμπετε μὲν περὶ τῆς Ποτειδαίας, πέμπετε δὲ περὶ ὃν εἰ ξύμμαχοί φασιν ἀδικεῖσθαι, ἄλλως τε καὶ ἐτοίμων ὅντων αὐτῶν δίκας δοῦται· ἐπὶ δὲ τὸν διδόντα οὐ πρότερον νόμιμον ως ἐπ' ἀδικοῦντα λέντα.”

Iniuria Classen-Steup, Thucydides. 1919. a. h. l. adnotat:  
„Vermutlich gehört πρότερον hinter ἀδικοῦντα und ist hiermit zu verbinden”.

VIII.

Dio Cassius. 57. 5. 2. (ed. U. Ph. Boissevain):

„ἐπειδὴ τε ἐκεῖνος πολλὰ εἶπὼν καὶ μὴ δυνηθεὶς αὐτοὺς καταστῆσαι, τέλος τὸ ξίφος ώς καὶ ἔαντὸν καταχρησόμενος ἐσπάσατο, ἐπεβόησάν οἱ αἰάζοντες, καὶ τις αὐτῶν τὸ ἔαντον ξίφος ἀνατείνας „τοῦτο” ἔφη „λάβε τοῦτο γὰρ δεξύτερον ἔστιν.”

Non alāzortes sed ἐγγίζορτες legendum esse existimo.

IX.

Ep. ad Diognetum. II. 8-9. (Ed. Funk-Bihlmeyer):

8. „αἱς δὲ δοκεῖτε τιμᾶς προσφέρειν, εἰ μὲν αἰσθάνονται, κολάζετε μᾶλλον αὐτούς· εἰ δὲ ἀναισθητοῦσιν, ἐλέγχοντες αἴματι καὶ κνίσαις αὐτοὺς θρησκεύετε.

9. ταῦθ' ὑμῶν τις ὑπομεινάτω, ταῦτα ἀνασκέσθω τις ἔαντῷ γενέσθαι ἀλλὰ ἀνθρωπος μὲν οὐδεὶς ταύτης τῆς κολάσεως ἐκῶν ἀνέξεται, αἰσθησιν γὰρ ἔχει καὶ λογισμόν ὁ δὲ λίθος ἀνέχεται, ἀναισθητεῖ γάρ. οὐ καὶ οὖν τὴν αἰσθησιν αὐτοῦ ἐλέγχετε.”

Legendum esse mihi videtur:  
„οὐκοῦν τὴν ἀναισθησίαν αὐτοῦ ἐλέγχετε.”

X.

Martyr. S. Polycarpi. XVIII. 3.

„ἔνθα ώς δυνατὸν ἡμῖν συναγομένοις ἐν ἀγαλλιάσει καὶ χαρᾷ παρέξει ὁ κύριος ἐπιτελεῖν τὴν τοῦ μαρτυρίου αὐτοῦ ἡμέραν γενέθλιον...”

Iniuria Th. Zahn (O. v. Gebhardt, A. Harnack, Th. Zahn, Patrum apostolicorum opera. fasc. II. 1876.) ad verba „τὴν τοῦ

*μαρτυρίου αὐτοῦ ἡμέραν γενέθλιον*" adnotat: „Testimonium huius locutionis epistula Smyrnaeorum antiquius non extat, verumtamen sententiam unde orta est Ignatius praeclare expressit (Rom. 6. 1)."

XI.

De voorstelling van het verloop van den opstand der Pannische legioenen (Tacit. Ann. 1. 16-30), gegeven door H. Schiller, Geschichte d. Röm. Kaiserzeit. I. 1. 257-8, is niet betrouwbaar.

XII.

Ten onrechte meent U. v. Wilamowitz-Moellendorf, Staat u. Gesellschaft der Griechen u. Römer. 1923.<sup>2</sup> p. 121:

„Pericles hat den Bürgern aber auch Festgelder gezahlt. Das einzelne entgeht uns, aber jeder Anhalt fehlt darin mehr zu sehen als den Ersatz des Entrées, welches die Unternehmer für die Sitzplätze bei den Schaustellungen der Feste erhoben, so dass der Staat diese auch den Armen zugänglich machen wollte.“

XIII.

W. Nestle, Neue Jahrb. f. klass. Alt. 1914. 675: „Dabei darf man aber nicht übersehen, dass Thukydides, ... mit der Sophistik ... darin einig war, dass im politischen Leben, zumal im Verhältniss verschiedener Staaten zu einander nur die Macht, nicht das Recht zu berücksichtigen sei.“

Deze meaning is niet voldoende gegrond, vooral niet met betrekking tot Thuc. V. 84 e. v. (cf. id. Neue Jahrb. 1918. 227-28).

XIV.

Het oordeel dat F. M. Cornford, Thucydides Mythistoricus. 1907. p. XIV, uitspreekt over de oude historiographie en ook over Thucydides, is op dezen schrijver niet van toepassing:

„The only natural causes of human events considered by ancient historians are psychological: the characters and immediate motives of men or personified states; whereas moderns look to social and economic conditions, etc., and formulate abstract laws.”

XV.

Elementaire kennis der Fransche taal dient te worden geeischt van degenen, die tot de gymnasiale studie wenschen te worden toegelaten.

XVI.

Een weektaak van 30 lesuren, algemeen en zonder onderscheid aan de leeraren opgedragen, zal op den duur aan karakter en resultaten van het voorbereidend hooger onderwijs ernstige schade toebrengen.

---

---



